



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Quæstiones Canonicae De Decimis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadii, 17010 [i.e. 1710]**

Pars III. De Subjecto Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61677)

spirituali tollendo: cum Ecclesia æquale jus habeat ad decimas præteritas & futuras, estque hoc jus spirituale etiam quoad præteritas, & æquè impeditur per unam quàm per alteram transactionem; nam sicut vi compositionis super futuris non potest in futurum aliquid petere, ita nec præteritæ peti possunt, si super ipsis facta est transactio. At qui transactio super præteritis non tollit jus decimandi, & sic non excludit pretium; ergo nec illa, quæ fit super futuris.

331<sup>1</sup> Dubium hinc quidam Canonistæ movent, an si prædium datum Ecclesiæ pro decimis, chasmate seu terræ hiatu, aut flumine alveum

mutante, pereat, possit illa non obstante compositione eas postea petere, donec alia compensatio fiat. Affirmant Imola *l. c. n. 11.* & Germon. *l. c. n. 45.* Hæsitat Moneta *cit. n. 130.* Negant, & bene, Cyn. *in l. 2. C. de Fure Emph. Panorm. l. c.* Barth. Brixienf. Joan. Andr. ac alij. Quia proprietas prædij transijt in Ecclesiam, & sic res ipsi perijt, servaturque hac ratione æqualitas; si enim mihi fundus, super cujus immunitate compositionem feci, simili modo periret, non possem prædium repetere, quod pro immunitate dedi. Quod autem potius Ecclesiæ res sua perierit, quàm mihi mea, per accidens est.

## PARS III.

### De Subjecto Decimarum.

#### CAPUT I.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus Decimæ debentur Jure communi.

#### QUÆSTIO I.

*An Decimæ debeantur SS. Pontifici?*

#### SUMMARIUM.

332. Deci-

332. *Decima Jure communi solis Clericis debentur.*

333. *SS. Pontifici debentur de omnibus bonis Ecclesiasticis &*

*ab omnibus Clericis.*

334. *Loco earum accipit Annatas. Quas aliqui male & impetrite impugnant.*

332 **D**ecimas naturâ suâ & institutione deberi Clero ad ipsius sustentationem, & ad omnes expensas necessarias ad Ecclesiæ, Divinæque cultûs ministerium, certa omnium DD. sententia est, & patet ex *tot. tit. de Decim. ac caus. 12. q. 1. ac 2. c. 1. & caus. 16. q. 7.* Pariter certum est, non tantum Catholicis omnibus DD. consentientibus, sed etiam Heterodoxis, quos infra contra præscriptionem laicorum producâ, eas deberi soli Clero, nec posse ullâ ratione competere laicis, prout sunt merè Ecclesiasticæ, seu fundatæ in titulo primævo; hic enim cum sit officium sacrum, & hoc exhibere nequeant laici, apertum est, quod isti capaces earum non sint, nisi quando à titulo & jure spirituali avulsæ, & fructus merè temporales sunt. Igitur cum hîc de iisdem loquamur, solum ut debentur Jure communi, hoc verò Jure debeantur titulo solum spirituali, idcirco solum de Clericis sermo nunc esse poterit. Dubium verò est, quibus Clericis debeantur. Ante omnes agendum est de universali Pastore & Clericorum omnium ac Ecclesiarum Parocho, SS. Pontifice.

333 **A**ssert. Clerici omnes, etiam Episcopi, tenentur SS. Pontifici sol-

vere decimas de omnibus bonis Ecclesiasticis, si eas exigat. Certa est assertio ex *Clem. fin. h. t. Extravag. comm. un. cod. & Concil. Constant. Sess. 43.* ubi additur modus & causa eas exigendi. Probat S. Thom. 2. 3. q. 87. a. 4. ad 3. exemplo veteris Testamenti: nam Num. 18. præceptum erat Levitis, ut summo Sacerdoti decimam decimæ penderent. Ratio, quæ pro summo Sacerdote pugnabat in Veteri Testamento, à fortiori militat pro summo Sacerdote Novæ Legis, ut patet ex dictis n. 40. Ratio verò est. I. Quia est Pastor omnium fidelium, & in Petro ipsi dictum est, etiam respectu Episcoporum, *Pasce ovas meas.* II. Quia est supremus administrator bonorum omnium Ecclesiasticorum. Quando igitur bonum Ecclesiæ postulat, potest ex illis partem aliquam ad hunc finem applicare. III. Quia est supremus Princeps in spiritualibus: unde sicut Princeps sæcularis potest imponere tributa ad bonum publicum necessaria, ita Papa non solum ab Ecclesiasticis personis, ut ait Lessius *l. 2. de Just. c. 39. n. 28.* sed etiam ab omnibus Christianis eam contributionem potest exigere, quæ necessaria sit ad bonum spirituale Ecclesiæ tuendum: quo nomine olim

in Anglia singuli modicum censum SS. Pontifici pendebant, quem S. Petri denarium dicebant. Ratio ulterior est; quia non minus potestatis habet in omnes Christianos ad tuendum bonum spirituale Ecclesie, quàm Princeps sæcularis ad tuendum bonum temporale suæ ditionis.

334 Hac tamen potestate neque in Ecclesiasticos utitur, nisi necessitas id exigat, ut praxis docet: sed loco decimæ quotannis pendendæ, in Beneficijs maioribus solet exigere fructus unius anni prototo tempore vitæ, quos *Annatas* dicunt; imò neque has integras, sed sæpe vix decimam fructuum annuorum partem. Harum usum esse antiquum docent Panorm. & Joan. Andr. in c. 15. de off. Jud. ord. Card. de Luca de Benef. disc. 89. n. 2. ait introductas esse anti-

quissimo ac immemorabili Ecclesie usu. Paulus IV. *Const.* 17. §. 1. earum exactionem dicit esse antiquissimam. Fusè de illis agunt Azor tom. 2. l. 2. c. 12. Eckius, Academiæ nostræ illustre decus, & veræ fidei validissimus & acerrimus propugnator, in *Enchirid. loc. com. tit. de Annatis*, Bellarm. *Contra Regem Angliæ* c. 6. Thom. Compegius de *Annat. institut.* Filiucius tom. 3. tr. 41. c. 6. n. 54. Fagnanus in c. *Præterea* 1. Ne *Prælat. vic. suas* à n. 6. ubi de jure Pontificis in *Annatis* exigendis disputat per rationes, ut ait Card. Pallavic. *Hist. Conc. Trid.* l. 2. c. 8. n. 5. *ad c. & facta & jure firmatas, ut quicumque ausit in posterum dentes exerere, quibus mordeat, simul oporteat careere sensu, quo percipiat.*

## QUÆSTIO II.

### An Episcopis debeantur Decimæ?

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 335. Episcopus olim distribuit decimas inter Clericos.   | 339. Jus habet ad quartam partem omnium decimarum suæ Diocesis. Quæ tamen hodie fere nulli in usu est. |
| 336. Debentur Episcopo decima propriæ Ecclesiæ Cathedralis, & Parochiarum suæ Sedi incorporatarum. | 340. In defectum Parochi potest nomine cujusvis Parochiæ agere ad consequendas decimas.                |
| 337. Et ex prædijs, quæ non sunt incerta Parochia.   | Pri.   |
| 338. Decima, quæ sunt Ecclesiæ Cathedralis, inter ipsum & Canonicos dividuntur.                    |  |

335 **P**rimis Ecclesiæ temporibus Parochis, aliisque Ecclesiæ Ministris nondum certa decimarum pars erat assignata, sed Episcopi fuit eas distribuere, ut tradit S. Clem. Rom. l. 2. *Constit. c. 25.* & patet ex *can. 16. 19. 24. 26.* & *seqq. 12. q. 1. & q. 2. can. 25. & seqq.* nec non *can. 1. & 3. 16. q. 7.* Postmodum earum distributio univèrsali vel lege vel consuetudine facta est, & singulis Parochijs certa pars attributa, illa videlicet, quæ ex fundis intra fines Parochiæ sitis colligebatur: ita tamen ut nomine Cleri singularum Ecclesiarum non comprehenderent solus Parochus aliæque Clerici inferiores, sed etiam Episcopus, cum hic ad Clerum uniuscujusque Ecclesiæ pertineat, utpote ejus Caput & Prælatus, ac per consequens etiam ipsi debentur decimæ in singulis Parochijs, uti notant Abul. *in c. 23. Matth. q. 176.* & Panor. *in c. 29. h. t. n. 7.*

336 **A**ssert. I. Episcopo debentur decimæ Parochiæ ipsius propriæ, seu Ecclesiæ Cathedralis. Ita cum Gloss. Panor. Butr. ac alijs *in cit. 29. h. t.* Tyndar. *de decim. n. 68.* Rebuff. *q. 7. n. 7.* Azor *p. 1. l. 7. c. 25. q. 9.* Moneta *c. 7. n. 7.* ac alijs. Ratio patet: quia est immediatus Parochus illius Ecclesiæ: Parochis autem debentur decimæ suarum Ecclesiarum. Hinc limitant assertionem Rebuff. & Azor *ll. cc.* adjuntque, si alius esset curatus Ecclesiæ Cathedralis, huic, & non

Episcopo illas deberi. Quod verum utique esset, si ille alius foret verus Parochus, & non merus Episcopi Vicarius. Eadem porro est ratio de alijs Ecclesijs, si fortè earum immediatus Parochus est Episcopus, easque per Vicarios administrat.

**A**ssert. II. Episcopo debentur 337 decimæ ex prædijs, quæ non sunt in certa Parochia. Patet ex *c. 13. h. t.* & tradunt ibi Gloss. ac Panor. *n. 3. & 4.* Colligitur quoque ex *c. 29. & 31. eod.* Estque non semel decimæ à Rota Rom. teste Barbof. *de off. Par. c. 38. §. 2. n. 14.* Ratio est: quia si prædium in certa Diocesi, non tamen in certa Parochia situm est, proprius ac immediatus ibi Parochus est solus Episcopus.

**A**ssert. III. Si decimæ titulo donationis, dotis, permutationis &c. vel præscriptione, Ecclesiæ Cathedrali debentur, Episcopus in illis fundatam de Jure communi intentionem habet. Ita Rebuff. *l. c. n. 13.* Azor *l. c. Moneta n. 13* Sumitur ex *c. 31. h. t.* Benè tamen iidem monent ex *c. ult. de off. Cust.* inter Episcopum & Fratres dividendas esse. Fratres Episcopi sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis. *c. 4. de his, quæ fiunt à Pralat.*

**A**ssert. IV. Spectato Jure communi quarta pars omnium decimarum debetur Episcopo. Ita contra Glossam *in c. 29. h. t.* docent Hostiens. *in c. 31. h. t.* Panor. *in c. 4. de præscript. n. 2. & in c. 29. h. t. n. 7.* Innoc. *in c. 5. de Testam. Tynd. h. t. n. 71.*

n. 71. Rebuff. q. 7. n. 11. & q. 3. n. 14. Suar. c. 28. n. 9. Canif. c. 12. Wamel. tom. 1. cons. 79. n. 4. Moneta l. c. n. 14. Laym. ac alij: idque bene deducunt ex c. 16. de Off. Jud. Ord. c. 13. & 31. h. t. ac præcipue ex cit. c. 4. de præscript. ubi supponitur, quartam decimarum ad Episcopum Jure comuni pertinere, cum ibi præscriptio contra eam non concedatur, nisi quadragenaria: quanto tempore opus non foret, nisi Episcopo Jus commune assisteret, & resisteret præscribenti. Statuta est hæc quarta decimalis ad exemplum legis Mosaicæ Num. 18. vi cujus Levitæ de suis decimis Sacerdotibus decimas pendere debebant. Ratio statuendi erat; tum quia Episcopo æquè ac alijs Clericis, & quidem majori ratione, debetur congrua & digna sublimi ejus gradu sustentatio; tum quia est Pastor universalis in sua Diocesi, & quidem immediatus omnium Parochorum. Unde à veritate alienum est, quod asserit Bern. van Elpen p. 2. Fur. Eccl. tit. 33. c. 3. n. 10. antiquitus quidem, antequam Ecclesia

possessionibus ditata esset, quantum omnium proventuum Ecclesiasticorum ad Episcopum spectasse; at hodie in decimis Parochialibus nec de Jure communi, nec de consuetudine, eis deberi aliquam portionem. Quod ait Jure scripto non deberi, falsum est; verum duntaxat, quod ait de consuetudinario: nam quemadmodum juxta cit. c. 4. huic quartæ præscribi potest, ita hodie in plurimis Diocesis vel consuetudine, vel præscriptione, vel ultronea Episcoporum cessione sublata est; quia aliunde ipsis sufficienter provifum est, partim ex decimis, quas in aliquot Parochijs ferè totas soli percipiunt, partim ex alijs redditibus.

Ex dictis consequens est, quod tradunt Rebuff. q. 7. n. 12. Suar. l. c. n. 10. Laym. l. 4. tit. 6. c. 4. Monet. n. 16. posse Episcopum nomine cujusque Ecclesiæ parochialis ad consequendas decimas in defectum Parochi agere: tum quia est Prælati & Principalis Minister omnium Beneficiorum; tum quia ex singulis aliqua ipsi portio debetur.

### QUÆSTIO III.

*An omnibus Clericis Beneficiatis debeantur Decimæ?*

#### SUMMARIUM.

341. *Opinio quorundam, decimas ad solos Clericos Curatos pertinere.*

342. 343. *Debentur ex Jussu omnibus Clericis Beneficiatis.*

344. *Non*

344. Non obstant Jura in contrarium adduci solita.

345. Jus decimandi præcipuè ac primariò pertinet ad Parochum.

346. Habet ipse fundatam in Jure intentionem adversus quemcunque alium possessorem.

347. Consecraria tradita doctrina.

341 **D**ecimas pertinere ad solos Parochos, eosque, qui curam animarum habent, opinio est S. Thomæ 2. 2. q. 87. n. 3. in C. Caiet. ibid. Gloss. in c. 29. h. t. Sylvest. V. Decima n. 9. Barbof. l. c. n. 3. ac aliorum. Rationem dant: quia decimæ debentur ministrantibus sacra; hæc verò ab illis solùm ministrantur, qui ex officio habent curam animarum. Aliqui distinguunt, & dicunt, eas ex Justitia deberi solis illis, qui habent curam animarum; reliquis verò Clericis solùm ex Charitate, & Religione propter præceptum Ecclesiæ.

342 Afferit I. Clericis omnibus Beneficium habentibus decimæ ex Justitia debentur. Ita Aragon. in 2. 2. q. 87. a. 1. & 3. Valent. ibid. Soc. l. 9. de Just. q. 3. a. 1. & 3. Suar. c. 28. n. 2. & 12. & c. 29. n. 3. & 4. alijque RR. Probatur I. Illis omnibus ex justitia debentur decimæ, qui habent jus spirituale, in quo hoc debitum fundatur: atqui omnes Beneficiati tale jus habent. Mi. prob. quia jus, quod habent Beneficiati, est jus percipiendi fructus & redditus Beneficiales; hi verò maxime consistunt in decimis.

343 Probatur II. & declaratur præcedens ratio. Omnes Beneficiati

sunt veri Ministri Ecclesiæ, ergo ex justitia debetur ipsis sustentatio ex decimis. Antecedens patet: quia Ecclesiæ & Populi Ministri non tantùm sunt illi Clerici, qui Sacramenta administrant, & Verbum Dei prædicant; sed ij quoque, quæ titulo Beneficij & ex officio Altari ac Choro inserviunt. Conseq. probatur I. ex c. 22. h. t. ubi absolute dicitur: *Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Et c. 26. asseritur, *cum Deo debita sit solutio decimarum*, laicos esse cogendos *ad eas Clericis exhibendas.* C. 21. supponitur, eas Canonicis in sua Ecclesia esse debitas. Denique id probant antiqui Canones, qui in divisione decimarum disposuerunt, ut quarta pars non solùm Parochis daretur, sed Presbyteris, Diaconibus, & Clero divideretur, ut dicitur c. 63. 16. q. 1. Eadem ferè habentur c. 1. 16. q. 7. Probatur eadem conseq. II. Ecclesia Beneficiatis etiam non curatis, sustentationem, quæ ipsis debetur vi Beneficij, assignavit ex decimis, æquè ac Parochis; facta autem semel hac assignatione & præcepto Ecclesiæ, debentur ipsis ex Justitia, ut dixi n. 42. sicut ex eadem debentur Parochis post factam Parochiarum divisionem.

U Pro,

Probatur III, Populus Christianus obligatur non tantum Sacramenta suscipere, sed etiam Sacrificium offerre, Deumque publice colere ac laudare. Unde non tantum tenetur alere Ministros, qui habent curam animarum, sed etiam alios, qui Deum per Sacrificia, aliisque varijs modis publice & nomine populi colant. Hinc naturalis ac divina obligatio Justitiæ, quam is habet ad alendos sacros Ministros, non est ex se limitata ad Parochos (licet quoad hos majori quâdam ratione urgeat) sed extenditur universaliter ad omnes illos, qui ex destinatione Ecclesiæ & ex officio Divina peragunt.

344 Neque obstat, quod Jura non pauca videntur solis Parochis tribuere jus decimandi: non enim dicunt, solendas esse Parochis, sed Parochijs, præcipue *c. 29. h. t.* ubi dicitur; *quod perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de jure communi pertineat.* Idem habetur *c. 30. cod.* At in Parochialibus Ecclesijs non computantur soli Parochi, sed etiam alij Ministri, licet cura & administratio proxima Parochiæ, & bonorum ad eam pertinentium peculiari modo ejusdem Rectori commissa sit.

345 Assert. II. Jus decimandi præcipue ac primario ad Parochum pertinet. Ita communis omnium sententia, firmata à Gregor. XV. *decis. 72. n. 3. 9. & 10.* ac sæpius à

Rota Rom. teste Barbof. *de Offic. Paroch. c. 28. §. 2. n. 7.* Patet ex *c. ult. de Paroch. & c. 29. & 30. h. t.* Sensus conclusionis est, quod postquam Canonicatus, Præpositura, Decanatus, aliæque Beneficia, seu duplicia seu simplicia, vel ex decimis, vel alijs redditibus Ecclesiasticis fundata sunt, totum jus decimandi ad Parochum spectet. Sic intelligendi sunt S. Thomas aliique relati *n. 341.* quando dicunt, jus decimandi penes solum Parochum esse: loquuntur nimirum de casu, quo alijs Clericis Beneficiatis de honesta sustentatione ex decimis aliisque redditibus Ecclesiasticis sufficienter provisum jam est. Porro ratio assertionis est: quia Parochus est Rector Ecclesiæ Parochialis, & immediatus Pastor Fidelium, qui in eadem continentur, ipsique maxime incumbit pondus ministerij spiritualis, quod præcipue in dispensatione Divinorum Mysteriorum, & Verbi Divini prædicatione consistit. Unde decimæ ipsi debentur ex Justitia simul, Religione, Charitate, & Obedientia seu vi præcepti Ecclesiastici, ut fuffius explicat Suar. *c. 29. n. 2.*

Ex dictis inferunt S. Thomas *l. c. 341.* Sylv. *n. 14.* Rebuff. *g. 7. n. 4. & 5.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 7.* Canis. *l. 8. n. 2.* Barb. *l. c. n. 7. 8. & 9.* ubi assertit varias Rotæ decisiones, Laym. *l. 4. tit. 6. c. 4. n. 3.* Pirhing. *h. t. n. 80.* ac passim alij, quod Parochus fundatam in decimis intentionem de



de jure communi habeat contra quemlibet possessorem juris decimandi, etiam Episcopum, ita ut non teneatur probare, illud ad se pertinere, sed contrarium assertenti incumbat probatio, cum jus commune assistat Parocho, & resistat alijs *arg. c. 56. 16. q. 1. c. 24. h. t. c. ult. de Paroch.*

47 Ex ijs, quæ universim modò disputavi de Clericis Beneficiatis, consequens est, quòd applicatio decimarum per modum pensionis vel quomodocunque facta alicui etiam pio loco & religioso, invalida sit, si Beneficiatus privetur debita sustentatione, ut benè notant *Suar. c. 15. n. 7. & Pal. tr. 10. disp. un. pun. 10. n. 4.* Ratio patet: quia Parochis, aliisque curatis debetur honesta sustentatio jure etiam naturali & divino, reliquis Beneficiatis saltem Ecclesiastico. Neque SS. Pontifex, multò minùs Episcopus, est omnium decimarum dominus, sed dispensator. Unde rursus sequitur I. quòd non obstante tali applicatione, teneatur is, cui applicati sunt fructus, congruenter alere Beneficiatum: nisi ipse Pontifex aliter illi provideat. II. Sequitur, quòd Beneficiati, v. g. Canonici Ecclesiarum Cathedra-

dralium, quorum præbendis annexi sunt Pastoratus, quos per Vicarios administrant, teneantur ex Justitia ejusmodi Vicarijs debitam sustentationem tribuere: alioquin, ut observant *Lessius l. 2. c. 39. n. 17. & Palao l. c. n. 3.* injuriam faciunt, tum suis Vicarijs, qui totum laborem subeunt; tum populo, qui cum largas det decimas, quibus aptissimum ministrum habere posset, acceptare cogitur parùm idoneum, cum sæpe non querantur, qui munus videantur optimè administraturi, sed qui minimo stipendio servire velint. Ex quo, ut ait *Lessius l. c.* multis in locis magna animarum strages. Cæterum si hujusmodi substitutis & Vicarijs, vel Beneficiatis, quibus decimæ ademptæ & alijs applicatæ sunt, non suppetat congrua sustentatio, non propterea tenetur populus contribuere, alias vel decimas vel pensiones dando, ut contra nonnullos benè tradunt ac demonstrant *Covarr. l. c. n. 3. Suar. cit. c. 15. à n. 8. Less. & Palao ll. cc.* Addit iste *n. 5.* posse in tali casu Parochianos denegare decimas, donec suo Pastori vel inde vel ex alijs redditibus debita portio pro honesta sustentatione assignetur.

#### QUÆSTIO IV.

*An Religiosis & Clericis non Beneficiatis debeantur Decimæ?*

U 2

S U M.

## SUMMARIUM.

348. Deberi decima Regularibus possunt vel ratione sui Status, vel ratione Beneficij, vel ut elemosyna.

349. Non debentur Jure communi & ratione Status.

350. Nec Clericis secularibus Be-

neficiis non habentibus.

351. Tametsi nomine Ecclesia Horas Canonicas recitent, & Sacrificia faciant.

352. Et licet Jura sacra absolute dicant, Clericis deberi decimas.

348 **Q**uæstio hæc est, an Jure communi decimæ Religiosis debeantur: multis enim eorum competere jus decimandi ex privilegio, notum est, & infra fusiùs explicabitur. Pariter possunt ipsis deberi decimæ tanquam pauperibus, uti notant S. Thomas & Alensis. Verùm tunc non competit ipsis jus decimarum, sed fructus tantum debentur, & quidem non ex Justitia, sed ex charitate. Certum quoque est, jus decimandi competere Religiosis, si aliquod ipsis Beneficium conferatur vel curatum, vel simplex: quod fit, dum Beneficium vel unitur Monasterio vel particulari Religioso confertur. Sic enim Religio vel Religiosus suscipit in se officium spirituale; huic verò annexum est jus decimandi.

349 **A**ssert. I. Religiosis de Jure communi & vi sui Status non debentur decimæ. Ita S. Thom. 2, 2, q. 87, a. 3, ad 3. & ibi omnes Th. Th. Patet ex c. 6. 8. q. 21. & 22, 16, q. 1. quibus Juribus dicitur, ad Clericos pertinere ex altari vivere, non verò ad Monachos, nisi ad Clerico-

rum statum & munus assumantur. Ratio est: quia nec ratione ministerij sacri, quod populo impendunt dispensando divina Mystera & verbum Dei prædicando, nec ratione ipsius Status Religiosi jus decimandi ipsis competit. Non quidem ex priore ratione: quia obsequia spiritualia in convertendis Infidelibus, & promovendis in virtute Fidelibus voluntariè suscipiunt, ac idcirco ex Justitia ad id non obligantur. Neque obstat, quòd vi sui Instituti ac Regulæ à Sede Apost. approbatæ, quidam eorum, uti v. g. PP. Prædicatores & Societatis Jesu, ad id obligantur: nam solum ex charitate & zelo divinæ gloriæ, salutisque animarum sacrum hoc munus susceperunt, & nec postularunt ipsi ab Ecclesia stipendium sui laboris, nec illa ad hoc se obligavit. Sed neque vi sui Status Religiosis debentur decimæ: ille enim per se non constituit Ministros Ecclesiæ, nec inducit obligationem ex Justitia serviendi populo in spiritualibus, sed ad summum ex charitate & vi

re-

regulæ. Hinc vicissim neque populus ex Justitia ad eos alendos obligatur, si que alit ex gratitudine, misericordia, charitate, ac religione, id ita præstare debet, ut Ecclesia suis decimis non privetur, cum jus decimandi penes eandem ejusque ministros ex officio ad id obligatos semper maeat integrum, Quæ in contrarium adduci possunt, retuli n. 103. & solvi n. 106.

350 Assert. II. Clericis non habentibus Beneficium Ecclesiasticum non habentur decimæ. Ita communis & certa DD. Ratio patet, quia jus spirituale ad decimas alióque redditus Ecclesiasticos percipiendos est solum Beneficium ratione officij spiritualis; neque enim illud jus sequitur ipso facto ex Ordine & Clericatu, sed hic dat solum capacitatem ad titulum & jus illud spirituale; non verò ipsum jus, utpote quod nulla lege vel Divinâ vel Ecclesiasticâ Ordinibus annexum est. Hinc sicut visolius Clericatus nemo obligatus est ad ministrandum populo; ita nec iste tenetur ad hujusmodi Clericum alendum.

351 Neque valet, si quis dicat, Clericos in sacris obligari ad dicendas preces, quas Horas Canonicas dicimus: ia hoc autem eos in servire populo Christiano, cum nomine ipsius orent, & bona temporalia ac spiritualia à Deo eidem impetrent. Respondetur enim, ipsos ad Divinum Officium obligari non

debito Justitiæ, sed solum Religionis ex præcepto Ecclesiæ, quod præceptum non imponitur in vim patet includentis obligationem Justitiæ, sed solum ratione Status ad Religionem pertinet, ut fusiùs explicant Th. Th. quando agunt de Horis Canonicis. Eadem responsio valet ad id, quod opponi ulterius posset, Clericos teneri in Ordinibus inferioribus ministrare usque dum ascendant ad Presbyteratum, & à Presbyteris offerri Sacrificia nomine totius populi: neutrum enim præstant ex debito Justitiæ, sed solum vi præcepti Ecclesiæ, ex Religione ad sacra hæc ministeria eos obligantis. Nec propter ista aliquod jus ipsis Ecclesia tribuit, præterquam quod gaudeant privilegio Fori & Canonis, & Beneficium ipsis debeatur, & hoc demùm habito congrua ex redditibus Ecclesiasticis sustentatio.

Pariter non obstant *Can. Decimas 1. 16. q. 7. c. ad hæc 63. q. 1. c. 26. h. t.* ubi absolute asseritur, Clericis decimas deberi: est enim ibi sermo de Clericis Beneficiatis, cum antiquitus nemo nisi ad titulum Beneficij ordinatus fuerit, nec modò sine illo ordinari debeat, juxta *c. 3. 4. & 15. de Prabend. c. 13. de at. & qual. proficien. c. 1. & 2. dist. 70.* Si quis verò juxta Trident. *sess. 21. c. 2. de Reform.* ob necessitatem vel commoditatem Ecclesiæ ordinatur ad patrimonium vel pensionem, ex his vivere debet, ut patet ex Tri-

dent. l. c. Si denique ex pacto alicui Episcopo, vel Canonico, vel laico, in spiritualibus ministret, sustentari ab illo debet, cum quo pactum iniit.

## QUÆSTIO V.

*An Decimæ debeantur Clericis divitibus aut malis?*

### SUMMARIUM.

353. *Varia circa hoc opiniones.*  
 354. *Ministris Ecclesie etiam opulentis debentur decimæ.*  
 355. *Jure etiam Divino & Naturali.*  
 356. *Possunt vivere de proventibus Ecclesie, & bona patrimonialia in profanos usus expendere.*  
 357. *Etiam mala vite Clericis debentur decimæ.*  
 358. *Possunt illis negari, qui Divina populo non ministrant.*

353 **P**seudoapostoli Hæretici, uti reguli n. 44. negabant, dandas esse decimas Clericis, qui non profiterentur Evangelicam paupertatem. Verum hic error damnatus est ab Ecclesia. Juxta Alexand. Summam Angel. & Rosella, teste Sylvestro V. *Decimæ n. 14. §. octavum.* Clericus habens patrimonium secundum statum suæ personæ recipere potest decimas ut Procurator, in necessitates pauperum vel utilitatem Ecclesiæ expendendas: sed si in proprios usus expendit, Sacrilegium committit: si in malos, incurrit iudicium. Pro qua opinione allegatur *can. ult. 16. q. 1. & can. 7. 1. q. 2.* Verum primus nihil habet, quod ad propositum faciat, ut legenti patebit. Alter intelligi potest ac debet de bonis Ecclesiasticis in

pauperes erogari solitis: ex his enim utique nihil debetur Clericis non egentibus. Ita quoque intelligendus est *can. 1. 1. q. 2.*

Affert. I. Ministris Ecclesiæ, etiam divitibus, & ex patrimonio vivere valentibus, decimæ debentur. Ita cum S. Thoma quodl. 6. art. 10. & 2. 2. q. 87. a. 3. ad 1. communis ac certa Theol. & Canon. quam manifestam reddunt illa, quæ n. 30. & 31. produxi: quod enim non est alligandum *os bovi trituranti*; quod *Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*; quod *ij, qui in Sacramentis operantur, quæ de Sacramentis sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant*; quod *dignus est operarius mercede sua*; quod *nemo militat suis stipendijs*  
 un-

*unquam*: hæc, inquam, aliæque, æque de Clericis opulentis, quàm egenis procedunt. Ostendunt enim, propter sacrum ministerium deberi stipendium sacrum: unde sicut creditori diviti solvendum est suum debitum, & operario, quamvis non indigo, sua merces, quia nemo propter divitias, quas aliunde habet, suo jure privatur; ita pariter Clericis, quamvis opulentum patrimonium habentibus, ex redditibus Ecclesiasticis debetur stipendium propter obsequia, quæ Ecclesiæ & fidelibus impendunt.

355 Hinc admittendum non est, quod Moneta *c. 7. n. 40.* absolute asserit, Ministris sacris non indigentibus decimas non deberi Jure Divino aut Naturali. Ubi tamen subdit: *tunc saltem, cum indigent, & quoad substantiam, Jure Divino & Naturali deberi etiam post legem Evangelicam.* Quod enim etiam non indigis debeantur Jure Divino tam naturali quàm positivo, quoad substantiam & quantum requiritur ad congruam sustentationem, certum omnino esse videtur, cum id evincant SS. Scripturarum effata, quæ *l.c.* recensui. Unde nulla vel consuetudine vel præscriptione induci potest, ut Clericis Beneficiatis non indigis nihil debeatur.

356 Pariter admittendum non est, quod post Decium aliòsque paucos tradit Bernardus van Espen *p. 2. Jur. Eccles. tit. 3. c. 5.* Beneficiarios, si ex suo patrimonio vivere va-

leant, non posse ex proventibus suæ Ecclesiæ sua necessaria accipere, parcendo proventibus patrimonij, eosque consanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios usus profanos expendendo: ubi *num. 21.* sic ait: *revera tanta in Canonibus & dictis SS. PP. apparet pro hac sententia evidentia, ut credibile non sit, contrariam sententiam ab aliquo assertam fuisse, nisi postquam seculo duodecimo intrarunt Doctores, quorum plures magis proprio judicio & rationi naturali, quàm Canonum & Patrum auctoritati innitentes, eam opinionem sustinere ceperunt.* Addit *num. 24.* Doctores Scholastici nimis carnaliter & mercenarie considerasse videntur hæc verba Apostoli: *quis militat suis stipendijs unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* Quæ censura nimis carnalis & mercenaria est, immeritò serviens recentiori Lovaniensis Scholæ rigori, malèq; despiciens Theologos & Canonistas, qui uno ferè ore tradunt, posse opulentos Clericos, servato patrimonio, ex redditibus Beneficij vivere. Eminent inter ipsos S. Thomas *2. 2. q. 135. art. 7. ad 3.* Innocentius IV. Panormitanus, Felinus, Archidiaconus, Hostiensis (qui ait, hoc doceri ab omnibus) Joannes de Fano, ac Hugo, quos citant & sequuntur Fagnanus, Navarrus, Cajetanus, Covarruvias, Sylvester, Dominicus Sotus,

ac passim alij. Unde malâ fide ait, à Fagnano referri *nonnullos recentiores Canonistas*: velut *nonnulli* sint, qui sunt propè omnes, aut inter *recentiores* numerandi sint, Doctor Angelicus, Innocentius, Archidiaconus &c. Effata Patrum, quæ ex Gratiano colligit, magnòque hiatu effert, quomodo intelligenda sint, discere potuit ex Navarro *tr. de redditibus Ecclesiast. in fine.* Covarruvia *s. 1. de Testam. n. 3. & 4.* & S. Thoma *cit. art. 7.* qui in illis non viderunt eam, quam ipse, evidentiam.

357 Assert. II. Debentur Clericis decimæ, etiamsi sint malæ vitæ. Patet ex *c. 26. h. 1.* ubi cum dictum esset, quòd laici *nonnulli etiam vitam Clericorum tanquam abominabilem detestantes decimas eis ob hoc subtrahere non verentur*, subditur: *Prætextu verò nequitia Clericorum nequeunt eas (nisi quibus ex mandato Divino debentur) pro suo arbitrio erogare: cum nulli sit licitum aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem.* Hunc textum Hostien. & Sylvest. *l. c.* intelligunt de peccatis solum occultis, unde ajunt: *sit tamen (Clericus) non servit Ecclesia, ut debet, vel sit notorius fornicator, laicus ei decimasolvere non tenetur, sed proximo Superiori, qui debet illas in utilitatem illius Ecclesie convertere.* Hoc tamen durum esse meritò dicit Turrecr. *in c. ult. 16. q. 1. n. 8.* Imò absolutè falsum est:

tum quòd damnata est à Concil. Constant. propositio Wicleffi, dicentis, liberum esse fidelibus negare decimas malis Sacerdotibus: tum quòd laicorum non est judicare Clericos, & jura ipsis negare ante sententiam Judicis Ecclesiastici: tum quia decimæ non dantur propter bonitatem vitæ, sed propter servitium, & idcirco si Clerici Divina ministrant, ut debent, eorum malitia alios non liberat à debito decimarum; sicut à mercede solvenda operarijs & famulis non liberant mali horum mores; justum namque est, ut ait S. Gregor. *relat. c. 45. 12. q. 2.* ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. Tum denique, quia aliàs etiam laicis, quibus decimæ in feudum concessæ sunt, negari possent, si improbi sunt; quod nemo laicorum concesserit: Ex dictis confectarium est, quod ait Rebuff. *q. 7. n. 16.* decimas Clericis deberi, etiamsi eas in malum usum convertant: quamvis enim tunc iudicium sibi manducant & bibant, ut dicitur *Can. Clericos 6. 1. q. 2.* habent tamen jus eas exigendi, eoque propter malum usum privari nisi à legitimo suo Judice non possunt.

Assert. III. Parochis aliisque Ministris sacris possunt negari decimæ, si officio suo desint, & Divina populo non ministrant. Sic Butrio aliique *in c. 2. de Ord. Cognit. Paul. de Castr. vol. 1. consil. 38.* Panor. *in 6. fin.*

*c. fin. de Paroch. Hof. h. t. Gem. & Franc. in c. 1. §. fin. de rest. spol. in 6. Lopus alleg. 66. n. 7. & 8. Ripa tit. de Consuet. res. 1. à n. 15. Wames. tom. 1. consil. 206. n. 7. alii que. Ratio patet: quia sicut qui servit altari, vivit de altari, ita qui eidem non servit, de eodem non vivit. Neque debentur Clero decimæ, nisi propter Ministerium sacrum: qui ergo hoc non impendant, jus illas petendi non habent. Notant tamen cit. DD. non posse illas à Parochianis propria auctoritate retineri, sed solum excipiendo in iudicio, seu reconveniendo. Vicissim, ait Moneta l. c. n. 37. cum Navarro, ac alijs, non potest Parochus propria auctori-*

*te negare Sacramenta ex eo, quòd sibi non solvantur decimæ, nisi id notorium sit. Verùm distinguendum est inter personas: tametsi enim aliqui vel multi ex communitate eas ex notoria contumacia non solvant, illis tamen, qui solvunt aut nullas debent, negari Sacramenta non possunt: neque apparet, quomodo v. g. filio negari possit Baptismus, si pater eas non solvit. Iis verò, qui ex malitia non solvunt, negari non solum possunt, sed quandoque etiam debent, tametsi notorium non sit crimen, cum propter malum statum non sint capaces ea suscipiendi.*

## QUÆSTIO VI.

### *Cui Ecclesie debeantur Decimæ?*

#### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 359. <i>Triplex circa hoc dubium.</i>  | 367. <i>Explicatio diversorum Canonum.</i>  |
| 360. <i>Personales quibus debet, ubi Divina percipit.</i>                            | 368. <i>Prædiales tota debentur Parochiali Ecclesie.</i>  |
| 361. <i>Sequela hinc deducta.</i>  | 369. <i>Divisione Ecclesie facta nova debentur omnes decimæ, quæ intra ejus limites proveniunt.</i> |
| 362. <i>Ratio dubitandi de Prædialibus.</i>  | 370. <i>Oppositio contra assertionem.</i>   |
| 363. <i>Debentur Parochia, intra cujus fines sita sunt prædia.</i>                   | 371. <i>Solvitur.</i>   |
| 364. <i>Solutio oppositionis.</i>  | 372. <i>Respondetur ad Canones obiectos.</i>  |
| 365. <i>Contrarium induci potest consuetudine.</i>                                   | 373. <i>Limitationes assertionis.</i>   |
| 366. <i>Baptismali an Parochiali Ecclesie solvenda sint decimæ, ambigua quæstio.</i> | 374. <i>De decimis mixtis multiplex dubium.</i>   |
|  | X 375. <i>De-</i>   |

375. *Debentur integra illi Parochia intra cujus fines animalia pascuntur & nutriuntur.*

376. *Si pastus sit intra fines plurimum Parochiarum singulis aliquid debetur.*

377. *Idem est, si animalia in una*

*pascantur, in altera accubens. Nihil debetur illi, per cujus fines solum aguntur.*

379. *Decima ex feris, qua in nullius sunt dominio, debentur ibi, ubi habitat, qui capit.*

359 **D**E Decimis antiquis hinc loquimur: a *Uuri seq. q. de Decimis Novalium.* Dubitatur I. Cui Parochia debeantur Personales, sicubi in usu sunt; cui Prædiales. II. Cui debeantur, si plures sunt Parochiales, una Baptismalis; altera, in qua reliqua Sacramenta ministrantur: aut, si una est Matrix, altera Filialis, in qua tamen illa dispensantur. III. Cui solvendæ sint, si res mobiles sunt fructiferæ, uti pecora, & fructificant partim in hac Parochia, partim in alia.

360 **A**ffert. I. Decimæ Personales Jure communi debentur illi Parochia, in qua quis domicilium habet, & Divina percipit. Ita omnes Th. Th. & Canon. cum S. Thoma 2. 2. q. 87. a. 3. ad 2. Estque statutum c. 10. h. t. c. ult. de Paroch. Ita quoque intelligendi sunt *Can. 46. § 5. & § 6. 16. q. 1.* Ratio est, quia Decimæ dantur in sustentationem eorum, qui spiritualia ministrant: ergo fideles illis maxime tenentur solve- re, qui ex officio tenentur ipsis eadem ministrare: ad hoc autem tenetur Parochus, in cujus Parochia domicilium quis habet, Ratio ulterio- rior est; quia Decimæ Personales

sunt onus merè personale, tam re- spectu illius, cui officia sacra im- penduntur, quam illius, qui impen- dit: debentur ergo illi Parocho, qui sacra ministrat, ut deciditur c. 2. h. t.

Ex dictis sequitur I. Si quis domi- cilium mutet, deberi has decimas non priori Parochia, ex qua abijt, sed illi, in quam transijt, etiam si in priori habeat possessiones, nullas in posteriore: quia Sacramenta jam non percipit in illa, sed in hac. Se- quitur II. Quamdiu non mutat do- micilium, semper illas deberi Pa- rochia domicilij, etiam si alibi labo- ret, negotietur, ac lucretur, etiam per magnam anni partem: quia illa manet propria Parochia, tenetur- que in ea Sacramenta percipere, cum sit per accidens, si ratione ab- sentia & peregrinationis alibi illa percipit. *arg. c. 3. de sepult. in 6.* Se- quitur III. Siquis plura habet do- micilia in diversis Parochijs, divi- dendas esse decimas, si utrumque est principale, & in utroque æqua- liter habitat, v. g. hinc per æstatem, alibi per hyemem: alias pro rata temporis dividendæ sunt, ut cum Innoc. tradit *Ant. Butrio in c. 2. de Paroch. Rebuff. q. 6. m. 2. Azor p. 1. l. 7. c. 24.*



l. 7. c. 24. q. 1. 4. Moneta c. 7. q. 2. n. 19. Si verò unum est tantum accessorium, v. g. si quis in suum prædium certis solum temporibus voluptatis aut negotiorum causâ excurrat, ibique Divinis intersit, debentur totæ Parocho principalis domicilij, ut benè asserunt Boich. *in c. 1. h. t. Rebuff. q. 6. n. 2. Suar. c. 21. n. 2. arg. l. 2. C. ubi Senator.* Sequitur IV. Decimas personales solvendas esse Ecclesiæ Parochiali, tametsi non sit Baptismalis, ut benè notant Gloss. *in c. 45. r. 6. q. 1. Panor. in c. 29. h. t. n. 6. Joan. Andr. & Anchar. in c. 20. eod. Rebuff. q. 6. n. 21.* quia etsi non sit Baptismalis, est tamen verè Parochialis, & Baptismo excepto omnia Sacramenta dispensat, quæ in Ecclesijs Parochialibus dispensari solent, ac stabiliter ministrat spiritualia. Hinc non placet, quod ait Panor. *l. c. cum Cardin.* aliquam saltem harum decimarum partem deberi Baptismali Ecclesiæ: nam ista ratione Baptismi, quem confert, accipit aliquam oblationem, quæ sufficit pro illo ministerio. Unde si quis hinc baptizatus mutat domicilium, decimas omnes personales solvit Ecclesiæ domicilij, nihil Parochiæ, ubi baptizatus est. Neque baptizatus Ecclesiæ Baptismali aliquid debet ratione præeminentiæ, quam ipsa fortè habet ut matrix: nam inferior Ecclesia Parochialis suam subjectionem erga ipsam alijs modis proficitur juxta *c. 1. de Eccles. A. dif. & Glossam ibi, nisi*

fortè alicubi consuetudine sit receptum, ut ipsi quoque Parochiani per solutionem partis decimarum profiteantur subjectionem.

Quod modò de Personalibus Decimis assertum est, tenendum quoque esse videtur de Prædialibus ob eandem rationem: nam etiam istæ debentur Ministris sacris ob ministerium, quod fidelibus impendunt, ut latè traditur *caus. 13. q. 1.* ergo solum illis, qui ea impendunt: quid enim juris in decimis habeat, in cujus Parochia prædia sita quidem sunt, eorum tamen domino alibi habitanti nihil obsequij spiritualis præstat? Stat tamen in contrarium praxis Ecclesiæ, ac fidelium, solventium decimas ibi, ubi prædia habent, etsi nunquam ibi habitent. Hinc quid de Jure tenendum sit, non decidit Alexand. III. *c. cum sint 18. h. t.* dicens: *Non est nobis facile, super hoc dare certum responsum, cum auctoritates Patrum etiam sint diverse. Et ideo in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum.*

Assert. II. Decimæ Prædiales 368  
Jure communi debentur Parocho, in cujus Parochia prædia sita sunt. Hæc quoque assertio est omnium DD. ac supponitur *c. 13. h. t. c. ult. in fin. de Paroch. c. ult. de rest. Spol. in 6.* Ratio est: quia in divisione Diocesium & Parochiarum, prædia quoque, ex quibus decimæ penderentur, divisa sunt, ita ut singulis Ecclesijs illa attribuerentur, quæ intra  
X 2 ejus-

eiusdem fines sita essent. Unde sicut fundi sunt immobiles, ita Ecclesia, intra cuius fines sunt, ad decimas ex iisdem percipiendas habet ius immutabile, quod ipsi non aufertur, etiamsi dominus domicilium ibi vel nunquam habuerit, vel aliò transtulerit, cum in solvendo reali onere non consideretur persona, sed ipsa res. *Imperatores ff. de Publican. & Vectig.* Quòd verò talis divisio ab Ecclesia facta sit, constat cum ex *cit. Furibus*, tum ex *can. 1. 13. q. 1. & can. 42. ac seqq. 16. q. 1.* Ratio sic dividendi erat, ut iura Ecclesiarum firma & immutabilia permanerent; si enim obligatio dandi decimas prædiales non inhaereret loco, sed cum domino ab una Parochia vel Dioecesi ad aliam transeunte, vel cum dominio fundi transferretur, magnam hæc mutatio confusionem pareret, partim quia domini prædiorum crebrò mutant domicilium, partim quia prædia per contractus, & ultimas voluntates, quoad proprietatem aut usumfructum sæpe transeunt ad eos, qui alibi, & quidem in locis multum distitis, habitant: quo fieret, ut iura Ecclesiarum essent incerta, & hodie ad hanc, oras ad aliam pertinerent, & quæ modò sufficientes aut abundantes redditus haberet, mox egeret, ac suos Ministros alere non posset. Quæ ratio indicatur *cit. c. 18. h. t. can. 5. 16. q. 3. can. 44. 16. q. 1. & à Trident. sess. 14. c. 9. & sess. 24. c. 13. de Reform.*

Neque per hoc fit injuria Ecclesie, quæ Divina ministrat habenti prædia alibi. I. Quia sic non tollitur æqualitas; sicut enim hæc Ecclesia pati debet, ut suos Parochianus ex prædijs alibi sitis alteri solvat decimas, ita pariter ipsa percipere eas potest, si alienus Parochianus hinc habeat prædia: quòd autem ipsa fortè ab alienis Parochianis nullas percipit, sed alia ab ipsius Parochiano, merè per accidens est. II. Habet quævis Ecclesia sibi assignatas decimas, quæ visæ sunt sufficere ad alendos sacros ejus Ministros: unde sicut ipsi nihil decedunt, quòd aliqui ex suis Parochianis aliò migrant; ita non est, quòd quaeratur, si aliqui accedunt, qui alibi illas solvunt: maximè quia ab illis etiam Parochianis, qui alibi prædiales solvunt, semper aliquod commodum percipit ex oblationibus, decimis personalibus &c. III. Quia leges humane considerant id, quòd frequentius accidit: at frequentius contingit, dominos prædiorum esse Parochianos illius Ecclesie, in cuius territorio prædia existunt. Unde si mutatio fit, id merè accidentarium est, nec præjudicium afferre debet Ecclesie Parochiali, cum teneatur & parata sit eis ministrare Divina, si in suis fundis habitare voluerint.

Quæ modò dixi, procedunt de Jure scripto. Aliud est de Consuetudine: hæc enim efficere potest, ut decimæ prædiales non debeantur

364  
 tur Ecclesie, intra cujus fines præ-  
 dia sita sunt, sed illi, in qua habitat  
 eorum dominus, uti manifestum  
 est *ex cit. c. 18. h. t.* Quot verò ad  
 hanc consuetudinem introducend-  
 am anni requirantur, sacra Jura  
 non exprimunt. Sufficere decen-  
 nium asserunt Panorm. *in cit. c. 18.*  
*n. 6. & vol. 1. consil. 58. n. 3.* Guttier.  
*l. 1. pract. q. 17. n. 2. & 5. & l. 2. can.*  
*c. 21. n. 58.* Barbof. *l. 3. de Fur. Eccl.*  
*c. 26. §. 2. & de Offic. Par. c. 28. §. 2.*  
*à n. 33.* ac alij, tenuitque perpetuò  
 Rota Rom. teste Card. de Luca *disc.*  
*1. de decim. n. 37.* Rationem dant:  
 quia talis consuetudo non est con-  
 tra, sed præter Jus; cum Jus scrip-  
 tum, ut ait Barbofa, sit obscurum,  
 nihilque decidat, cui Ecclesie de-  
 beantur. Hoc tamen verum non  
 est: nam Jura *n. 363.* allegata aper-  
 tè favent Ecclesie Parochiali, intra  
 cujus limites prædia sita sunt. Unde  
 probabilius est, requiri 40. annos,  
 ut infra diceretur *n. 441.* Qui decen-  
 nium defendere nihilominus velit,  
 dicat necesse est, etsi Jura pronun-  
 tiant pro Ecclesia prædiali, & non  
 pro illa, in qua prædiorum dominus  
 Sacramenta percipit, hoc tamen  
 fieri potius propter universalem  
 consuetudinem, vi cujus decimæ  
 solvuntur prædiali, quam quòd vi  
 Juris scripti & ex sua natura & sine  
 ipsi solvendæ sint, cum finis deci-  
 marum & ratio eas concedendi sit,  
 ut alantur. Ministri sacri propter  
 obsequia spiritualia, quæ fidelibus  
 impendunt: quæ ratio potius valet

pro Ecclesia Sacramentali, quam  
 prædiali, cum non in hac, ut poni-  
 mus, sed in illa Sacramenta perci-  
 piat prædiorum dominus.

366  
 Secundi dubij *n. 359.* propositi  
 solutionem difficilem faciunt cum  
 obscura ejusdem apud Doctores  
 decisio, tum multi Canones sibi in  
 speciem repugnantes. Nam *c. 13.*  
*20. & 29. h. t.* dicitur, solvendas esse  
 decimas Ecclesie Parochiali: sol-  
 vendas verò esse Baptismali asseri-  
 tur *can. 1. 13. q. 1. c. 45. 55. & 56. 16.*  
*q. 1. & in Conc. Later. sub Alex. III.*  
*p. 4. c. 3.* statuitur, ut solvantur Ma-  
 trici, per quam videtur ibi intelligi  
 Baptismalis. Ut tam Canones quam  
 Doctores ambigüe loquentes con-  
 cilientur, prænotandum est, Eccle-  
 siam Baptismalem propriè illam di-  
 ci, quæ licèt ipsa quoque Parochia-  
 lis sit, habet tamen sub se unam vel  
 plures alias Parochiales, quarum  
 Parochianis Baptismum ministrat.  
 Etsi enim plerumque Ecclesie, quæ  
 populum & jus Parochie habent,  
 etiam Baptisterium habeant, & Bap-  
 tismum æquè ac reliqua Sacramen-  
 ta conferant: quandoque tamen  
 una Parochia alias subjectas habet  
 eatenus, ut quoad solemnem Fidei  
 professionem per susceptionem  
 Baptismi harum subditi illam ad-  
 ire teneantur. Quam ob causam re-  
 spectu earum Matrix dicitur juxta  
 modum loquendi passim in Jure sa-  
 cro usurpatum, præcipuè *c. 10. de*  
*Præscript. c. 3. de Eccles. adif. c. 10. de*  
*Transact. & Clem. 1. de sent. Ex-*  
*com.*

com. quia *Matrix* dicitur, ut notant Panor. in c. *Ex parte de Reser.* n. 1. Rebuff. q. 6. n. 6. & 7. ac alij, quæ habet alias Ecclesias sibi aliquo modo subjectas: & per consequens istæ dicuntur *Filiales*. Quamvis, ut iidem observant, nomine *Matricis* simpliciter dicta intelligatur Cathedralis, juxta c. 22. de V. S. nisi qualitas materiæ aliud necessariò postulet.

367 His suppositis certum in primis est, si eadem Ecclesia est Baptismalis & Parochialis respectu ejusdem personæ aut familiæ, ab hac illi soli debentur decimas, non tantum personales, sed prædiales quoque, si prædia intra ejus fines sita sint. Et de his Ecclesijs expressè loquuntur *Can.* 46. & 56. 16. q. 1. Pariter de illis intelligendi sunt *Canones* n. 366. citati, quorum aliqui Baptismali, alij Parochiali Ecclesiæ decimas attribuunt: videntur enim utroque nomine illam significare, in qua tam Baptismus, quam reliqua Sacramenta percipiuntur; quia plerunque ubi unum confertur, conferuntur & reliqua. Jura autem de illis loquuntur, quæ ordinariè fiunt. Igitur dubium duntaxat est de casu extraordinario, quando videlicet Ecclesia Baptismalis non est simul Parochialis.

368 Assert. III. Decimæ prædiales integræ debentur Parochiali Ecclesiæ, ex prædijs intra ejus limites sitis, nullæ Baptismali. Ita Panor. in c. 29. h. t. n. 8. Archid. 13. q. 1. Suar.

c. 24. n. 4. ac alij. Ratio patet cum ex dictis n. 345. & 361. tum ex Juribus n. 363. allegatis, vi quorum debentur decimæ illi Parochiæ, intra cujus limites prædia sita sunt: tametsi enim talis Ecclesia forè non sit Baptismalis, verè tamen ac simpliciter Parochialis est. Unde non adversantur *Canones*, qui decimas assignant Ecclesiæ Baptismali: per hanc enim, ut modò dixi, intelligunt Parochialem, in qua tam Baptismus, quam reliqua Sacramenta dispensantur. Assertio procedit non solum, quando constat, Ecclesiam Parochialem esse antiquiorem Baptismali, sed etiam, quando dubitatur, utra sit antiquior, seu quænam intra terminos alterius sit erecta. Ratio est: quia quælibet Ecclesia Parochialis fundatam in Jure habet intentionem ad decimas omnium fructuum, qui intra ipsius fines proveniunt, donec alia Ecclesia, quæ jus decimandi prætendit, contrarium probet. Quid verò Juris sit, quando una Parochia in plures est divisa, simulque constat, quæ sit antiquior, explicandum restat.

Assert. IV. Quando Parochia una divisa est in plures, debentur novæ Parochiæ integræ decimæ omnium fructuum, qui intra ejus fines proveniunt, tametsi constet, Baptismalem, vel aliam, quæ divisionem passa est, esse antiquiorem, & antea sub suis terminis comprehendisse totum territorium novæ Eccle-

Ecclesie Parochialis. Ita contra Joan. Andr. sentio cum Panorm. *l. c. n. 8. cas. 4.* Calder. *consil. ult. de decim.* Archid. *13. q. 1.* Rebuff. *q. 6. n. 18.* Suar. *l. c. n. 3.* Moneta *c. 7. n. 28.* ac alijs. Ratio est: quia Ecclesie Parochiali debentur decimæ, quæ intra ejus fines sunt, ut traditur *c. 29. c. 30. h. t. c. 2. de rest. spol. in 6. c. su. de Paroch.* Ratio ulterior sumitur ex Trident. *Sess. 21. c. 4. de Reform.* ubi præcipitur, *ut illis Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesijs noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* Et ex *c. 3. de Eccles. adif.* ubi vult Alex. III. ob necessitatem novam Parochialem erigi, & Sacerdotem ibi institui, *ad sustentationem suam ejusdem villa obventiones Ecclesiasticas præcepturum.* Cum ergo nova Ecclesia verè, ut ponimus, sit Parochialis, & Parochus ali debeat ex obventionibus Ecclesiasticis, quæ præcipuè in decimis consistunt, præsumptio est pro novo Parocho, quòd pro ejus sustentatione decimæ sint assignatæ ex fundis intra terminos suæ Parochiæ sitis. Hinc non obstant Jura, quæ dicunt, decimas pertinere ad Ecclesiam Baptismalem. Nam, ut observat Panor. *l. c.* intelligi debent de illis decimis, quæ vel intra fines Ecclesie veteris proveniunt, vel quas illa sibi in erectione novæ Ecclesie reservavit, aut loquuntur

de casu, quo nova Ecclesia non est peculiaris & distincta Parochia.

Dices: Ecclesia antiqua, quæ divisionem passa est, suis terminis complexa est totum territorium Ecclesie novæ Parochialis, ergo omnia prædia illius territorij reali debito obligata fuerunt Ecclesie veteri pro decimis prædialibus, & idcirco licet transferint ad novam Parochiam, transferunt tamen cum suo onere, seu obligatione solvendi decimas illi Ecclesie, cui antè fuerant solutæ. Accedit, quòd *can. 43. 16. q. 1.* statuitur, *ut Ecclesie antiquitè constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita ut novis oratorijs tribuantur.* Et juxta *can. 44.* providendum est Episcopo, *ut alia Ecclesia antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.*

Respondetur: Licet regulariter qualibet res transeat cum suo onere, fallit tamen hæc regula, ut benè ait Suar. *l. c. n. 3.* quando causa & fundamentum oneris unà cum re publicà auctoritate justa de causa in alium transfertur: tunc enim omnis causa seu utilitas simul in eundem transfertur; hoc enim ratio æquitatis & Justitiæ exigit. Cum ergo, dum erigitur nova Parochia, onus ministrandi Sacramenta, quod habebat antiqua, transeat in novam, & hoc onus sit unicum fundamentum decimarum, consequens

quens est, etiam prædia antiquæ Ecclesiæ translata cenferi in novam cum utilitate decimarum: aliàs antiqua labore ac curâ animarum in novam rejectâ, stipendio laboris gauderet; quæ divisio oneris & utilitatis oneri annexâ (per se loquendo, & nisi novo Parocho aliunde suus labor compensetur) æquitati repugnat. Hinc si antiqua Ecclesia consensit in fundationem novæ & assignationem limitum, censetur eo ipso remisisse jus decimarum & alia jura Parochialia intra limites novæ Ecclesiæ assignatos, ita ut nova Parochia fundatam super decimis intencionem habeat contra antiquam, cui priùs debebantur, ut non semel decidit Rota Rom. teste Barbof. *de off. Par. c. 28. §. 2. n. 19.* dummodo dismembratio facta sit simpliciter, & absque clausula *sine præjudicio alicujus*. Neque obstat, quòd teste eodem Barbofa S. Congregatio Trident. *ann. 1617. 11. Mart.* censuit, decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure in Parochialem recens erectam, sed remanere penes matricem, nisi eas Episcopus novo Parocho ad præscriptum Concilij assignârit. Hoc enim duntaxat intelligendum esse videtur, quando certi limites novæ Ecclesiæ assignati non sunt, aut quando assignati sunt alij redditus à decimis distincti.

372 Neque repugnant Canones *n. 370.* in contrarium allati: non enim

loquuntur de novis Parochijs, sed de *novis Oratorijs*, & Ecclesijs non Parochialibus. Octavo enim & nono sæculo, quibus illi Canones editi sunt à varijs Concilijs, præcipuè à Moguntino celebrato sub Leone III. & Carolo M. invaluerat potentiorum audacia, qui ædificando novas Ecclesias, se illorum dominos constituebant, & decimas eo prætextu quasi jure sibi debitas invadabant: quorum avaritiam & ambitionem & Regia Caroli M. ac Ludovici Pij Capitularia & Synodorum ejus temporis Canones coërcere satagebant, ut loquitur Cabassat. *Comment. in Concil. Tribur. n. 6.*

Haecenus dicta procedunt de <sup>373</sup> Jure Ordinario. Aliud dicendum est, si vel de consuetudine solvantur decimæ non novæ Parochiæ, sed antiquæ, vel si huic jus decimandi reservatum fuit, dum nova erigeretur. Hoc ultimum absque dubio fieri potest per compositionem approbatam ab Episcopo, dummodo novæ Parochiæ ex alijs redditibus sufficienter provisum sit. Præterea locuti sumus solùm de casu erectæ novæ Parochiæ, distinctæ à veteri: si enim nova Ecclesia jus Parochiæ & Curam animarum non habet, vel ab illa non est separata, sed connexa, ita ut Parochus antiquæ in nova Vicarium, vel Cooperatorum, & ut vocant, mercenarium, constituat, haud dubiè decimæ non debentur novæ <sup>Filiæ,</sup> sed

sed totæ ad antiquam pertinent, cum hac ratione nova cum antiqua unam Parochiam constituat, ut cum Panorm. Joan. Andr. Tynd. Rebuff. Moneta, ac alijs observat Suar. c. 24. n. 7. Et sic intelligendus est *cit. can. 43. & 44. 16. 9. 1.*

374 Exijs, quæ hæcenus de Personali-  
libus & Prædialibus decimis dicta  
sunt, nascitur tertium dubium de  
decimis, quas Mixtas vocant, qua-  
les sunt animalium foetus, lac, lana,  
ova, mel &c. Decimæ enim ex his  
fructibus à multis dicuntur mixtæ,  
quia naturam partim persona-  
lium, partim prædialium habent.  
Hinc videtur, eas deberi partim  
illi Parochiæ, ubi dominus anima-  
lium habitat, partim illi, ubi fru-  
ctus ex iisdem proveniunt. Idque  
asserit Navarr. *consil. 2. de decim.*  
n. 10. Et certè idem dicere debent  
omnes, qui tenent, has decimas esse  
mixtas, ut notat idem Navarr. *l. c.*  
n. 9. Hoc dubium, ut ritè ac ordine  
decidatur, in quatuor quæstiones  
dispertiendum est. Nam I. quæri  
potest, an si animalia pascantur &  
accubent in una Parochia, eorum  
verò dominus habitet in alia, huic  
aqué ac illi ex iisdem debeantur  
decimæ? II. Cui debeantur, si illa  
in diversis Parochijs pascantur?  
III. Si in una Parochia tantum ac-  
cubent, seu caulam habeant, in  
alia verò pascantur, num utraque  
an verò solum posterior jus ea de-  
cimandi habeat? Procedit hæc  
quæstio de solis quadrupedibus: bi-

pedes enim, ut gallinæ, anseres, a-  
nates, ibi ferè solum pastum ha-  
bent, ubi stabulum. IV. Cum hæc  
quæstiones à Doctoribus ferè so-  
lum proponantur de animalibus  
mansuetis, & naturæ cicuribus, ut  
sunt oves, porci, anseres, gallinæ  
&c. dubium superest, an idem di-  
cendum sit de feris, & quæ non nisi  
arte cicurantur, uti sunt cervi,  
damæ, cuniculi, apri, lepores &c.

Assert. V. Decimæ ex foetibus 375  
aliisque cicurum animalium fru-  
ctibus (quas carnaticas vocant,  
den Blut: Zehend) integræ debentur  
illi Parochiæ, intra cujus fines  
illa simul pascuntur & nutriuntur.  
Ita communior DD. Ratio est: quia  
si huic Parochiæ non deberentur  
integræ, earum pars solvenda esset  
Parochiæ, ubi dominus animalium  
habet domicilium. Atqui huic nihil  
debetur: quia istæ decimæ sunt  
duntaxat prædiales, ut diximus n.  
11. idque certum esse ait Marta  
p. 2. de *Jurisdic. c. 43. n. 36.* ex  
prædialibus autem nihil debetur  
Parochiæ domicilij, quando extra  
ejus fines sita est res fructifera, jux-  
ta dicta n. 363. Accedit, quòd istæ  
decimæ saltem plus participant de  
natura Prædialium, quàm Persona-  
lium: ergo saltem dimidium earum  
non debetur Parocho domicilij;  
cúmque decerni facillè non possit,  
quæ ipsi pars debeatur, & cur non  
potius sexta, vel octava, quàm  
quarta, ut vult Navarrus, bene sta-  
tutum est praxi, ut existimamus,

Y uni-

universali, ut integræ darentur Parocho loci, ubi sunt animalia.

376 Assert. VI. Si intra fines plurium Parochiarum pascantur animalia, singulis inde debentur decimæ. Ita S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 3. ad 2. & cum ipso omnes *arg. c. 4. h. t.* Ratio patet: quia si non absolute, saltem magis prædiales sunt, quàm personales; ergo solvendæ sunt ibi, ubi solvuntur aliæ prædiales, cumque uni Parochiæ solvantur ratione pascuorum, consequens est solvendas cuicumque alteri, quæ illa pariter præbet. Hinc, uti idem S. Doctor ait, *proportionaliter* dividendæ sunt, ita ut si mediâ anni parte pascua habeantur in una Parochia, alterâ mediâ in alia, dimidium earum singulis cedat: si in majore tempore in alterutra, suum utrique pro rata temporis solvendum sit. Idque Galliæ consuetudine servatur, teste Forgeto *tr. de Decim. c. 4. n. 6.*

377 Assert. VII. Si intra unam Parochiam animalia pascantur, in altera solum stabulentur, divisio decimarum inter utramque fieri debet, ut in priori casu. Ita sentio cum Glossa *inc. 26. h. t.* Boich. *inc. 5. eod. Marta l. c. n. 37.* Rebuff. *q. 6. n. 26.* Suar. *c. 21. n. 10.* Palao *pun. 8. n. 8.* Basil. Pont. *l. 5. de Matr. c. 13. n. 24.* ac alijs, contra Alensem, Sotum, & Fagundez, qui tenent, eas competere soli Parochiæ, quæ præbet pascua. Ratio nostræ opinionis est, quòd foetura fit etiam in stabulis, & ad eam accubitus, ac cura, quæ ibi

grex fovetur, non minus, quàm pascuis, necessarij sunt. Imò rarissimum est, & saltem in nostris partibus non contingit, pecora intra unam Parochiam nutriri, in altera solum stabulari: cum solis pascuis sufficientem nutritionem non habeant, sed in caulis tempore novæ æturæ, præcipuè per integram hyemem paleis, foeno, ac stramine indigeant. Hinc bene Boichius ac Rebuffus, Ecclesiæ, ubi sunt pascua, majorem partem, uti Palao ac alij non tribuunt, sed absolute afferunt, decimas esse dividendas, æquæque divisio statuta in Synodo Vigornienfi *a. 1240. can. 44.* Sicubi tamen armenta & greges maxima anni parte, noctuque æquæ ac interdum, uti fit in calidioribus regionibus, in pascuis manent, æquitas exigit, ut potissima decimarum pars cedat Parochiæ, ubi sunt pascua.

Verùm hinc semper consulenda est locorum consuetudo, eaque standum. Unde sicut de consuetudine, de qua post Boër. testantur Rebuff. *l. c. n. 27.* & Moneta *c. 4. q. 1. n. 17.* lac debetur in ea Parochia, in qua extrahitur, & caseus, ubi fit; ita eadem observanda est etiam quoad foetum ac lanæ decimas. *arg. c. 18. & 20. h. t.* Ut verò Parochiæ, per cujus territorium pecora, dum ab uno prædio transeunt ad aliud, solum aguntur, aliquid decimarum aspergatur, Jure nec scripto nec consuetudinario receptum est.



est. Quod juxta Capoll. l. 1. *con-*  
*fl.* 24. & Moneta l. c. procedit etiam  
tunc, quando tempore belli peco-  
ra securitatis causâ ( quod annis  
proximè lapsis frequenter factum  
esse dolenter vidimus ) aliò trans-  
feruntur. At non dubito in hoc  
casu aliquam partem decimarum  
assignare Parochiæ loci, in quem  
illa recepta sunt, si ejus pascuis no-  
tabili tempore nutriantur, tametsi  
loci domino pretium pro pastu sol-  
vatur. Aliud esset, si nutrirentur  
pabulo cum pecoribus advecto,  
aut ibi coempto, aut modico tem-  
pore pascantur, cum de minimis  
decima solvenda non sit *arg. l. suo*  
*ff. de integr. rest. l. si oleum §. fin. &*  
*l. seq. ff. de Dolo.*

379 Assert. VIII. Decimæ ex ani-  
mantibus feris, quæ in nullius sunt  
dominio, solvendæ sunt Parochiæ  
domicilij, seu ubi Sacramenta per-

cipit, qui eas capit. Ita Rebuff. q. 8.  
n. 10. Gonzalez in c. 18. h. r. Ratio  
patet: quia, ut infrâ dicemus, hæc  
decimæ sunt personales. Atqui per-  
sonales debentur Parochiæ domi-  
cilij. Si verò hæc animalia sint in  
alicujus dominio, puta si vivarijs,  
piscinis, columbarijs, aviarijs, api-  
arijs, aliisve septis conclusa nutriantur,  
decimæ inde debentur Paro-  
chiæ, intra quam septa sunt & foe-  
tus proveniunt: sunt enim prædia-  
les. *arg. l. 3. §. item seras. ff. de Ac-*  
*quir. poss. l. 9. §. 1. & l. 62. §. 1. de*  
*Usufr. & quemad. §. Parvorum, &*  
*§. apum Inst. de rer. divis.* quia  
sunt in alicujus dominio, & pro-  
ventus ex iisdem, ubi semel capta  
sunt, non tam industriæ quàm na-  
turæ debetur, estque tunc eadem  
eorum ratio, quæ domesticorum  
& cicurum animalium.

## QUÆSTIO VIII.

### Cui debeantur Decimæ Novalium?

#### SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 380. Triplex dubium proponitur.  | 384. Dividenda sunt, si dubitatur,<br>ad quam novalia ex duabus Pa-<br>rochijs pertineant.                             |
| 381. Opinio falsa quorundam He-<br>terodoxorum, decimas nova-<br>lium Principi laico adjudican-<br>tium. | 385. Si ad utramque pertinere<br>constat, divisio facienda est jux-<br>ta modum spatij, quod in utra-<br>que occupant. |
| 382. Debentur Ecclesia, intra cu-<br>jus fines sunt novalia.   | 386. Decimæ novalium debentur<br>Parocho loci, ubi illa sunt, ta-<br>met si  |
| 383. Episcopo verò, si novalia ad<br>nullam Parochiam pertinent.   |  |

- metſi ibi jus decimandi ab alio Clerico vel Monasterio fuerit praſcriptum.
387. Niſi ex novali fundo aliqua pars prius jam fuerit culta & praſcripta.
388. Aut alius in quaſi poſſeſſione juris colligendi decimas novalium fuerit tempore longiſſimo aut immemoriali.
389. Aut ex ſolo recens culta aliquid decimarum jam antè perceperit.
390. Conceſſio laicis facta non extenditur ad novalia.
391. Imò nec privilegium Clerico vel Eccleſia datum.
392. Aſſeritionis ratio.
393. Reſponſio ad oppoſita.
394. 395. Limitatio dictorum.
396. Difficultas ex c. 27. h. t.
397. Solvitur.
398. Alia ex Jure Barvarico.
399. Privilegium percipiendi decimas novalium ſolum procedit de novalibus futuris.
400. Nec ſe extendit ultra dimidium novarum decimarum, ſi privilegiatus colligit etiam veteres.

380 **D**E Novali proprie dicto hic fermo est, quando nimirum terra antè non culta ad culturam redigitur, puta, si sylvæ eradicetur, siccetur palus, ædificia destruantur, insula in mari, lacu, aut flumine emergat, fluvius alveum mutet &c. solumque tunc colatur, & fructum ferat. Quid juris sit de Novali improprie dicto, quando videlicet ex agro sit pratum, aut vicissim, sequenti quaestione decidetur. De illo igitur tria controversa sunt. Primum est, cujus sint Novalium decimæ, si certum est, ea esse in hac Parochia, & solus Parochus veteres decimas colligit. Alterum, cujus sint, si dubitatur, sintne Novalia in hac, an in illa Parochia. Tertium, cui debeantur, si non ipse Parochus est ordinarius decimator, sed alius, v.g. Monasterium, aut laicus; vel si pars aliqua antiquarum

pertinet ad Parochum, altera ad alium.

Primum dubium gratis moveri videtur, cum decimas in illo casu Jura apertissime adjudicent Parochiæ, intra cujus fines novalia sunt. His tamen sanctionibus contemptis illas non ad Ecclesiam, sed ad dominum territorij secularem jure territoriali spectare aſſi sunt aſſerere Thomas Michaël de Jurisdic. Imper. & Camer. Conclus. 49. lit. A. & D. & Matth. Stephani de Jurisdic. l. 2. p. 1. c. 7. n. 448. aliique nonnulli, quos refert & male sequitur Knipschildt l. 2. de Jurib. Civit. Imper. c. 5. n. 171. Hanc opinionem Illustriss. D. Schmid ad Stat. Bav. III. 28. a. 13. n. 2. dicit esse hæreticam, Hunnius magnum & inexcusabilem errorem. Ratio pro illa aſſeritur, quod bona deferta, atque inculta ad dominos terri-

territorij pertineant. Quod ipsum tamen valde ambiguum est, ut patet ex ijs, quæ in contrarium adducunt Menoch. *l. 3. præsumpt. 100. n. 9.* & Aym. *l. 3. de alluv. c. 21.* & licet certum foret, ineptè tamen inde deduceretur, etiam decimas inde collectas esse Principum secularium: alias pariter sequeretur, decimam ex rebus sive immobilibus sive mobilibus esse eorum, qui illas proprietatis jure possident; quâ ratione nullæ omnino decimæ deberentur Ecclesiæ, quod utique hæreticum est dicere.

382 Assert. I. Decimæ Novalium secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, aut compensatione, debentur Parochiæ, intra cujus fines illa sunt. Ita deciditur *c. 13. & 29. h. t. & c. 4. 22. 62. eod. ac can. 5. 16. q. 7.* Quæ aliæque constitutiones cum apertè stent pro Ecclesijs Parochialibus, ac insuper immemorialis præscriptio, per quam omne jus privatum ac publicum præscribitur *l. 4. C. de 30. vel 40. ann. præscript.* nulla verò pro secularibus Principibus vel lex Ecclesiastica vel civilis (quæ si extaret, irrita & inanis foret *l. 12. cum auth. seq. c. de SS. Eccl. & c. 25. h. t.*) consequens est has decimas non nisi Ecclesiæ deberi.

383 Assert. II. Si Novalia non fiunt intra fines alicujus Parochiæ, v. g. si sylva, vel flumen pro limite duarum Parochiarum fuit assignatum, & illa postea eradicetur, vel istud

alveum mutet aut insulam faciat, ac hujusmodi solum colatur, decimæ debentur Episcopo: cum hic sit Parochus locorum, quæ proprium in Dioecesi Parochum non habent. Poterit igitur eas vel suæ mensæ vel alicui Ecclesiæ, cui videbitur, applicare. Ita deciditur *c. 13. h. t.* patetque ex dictis *n. 337.*

Si verò Novalia in confinijs 384 duarum Parochiarum surgant, ita ut ad alterutram pertineant, at nesciatur, ad quam, dividendæ in utramque sunt, ut bene notat Boich. *inc. 5. h. t. col. 1.* Unde neutiquam sequendos existimo, qui decisionem *cit. c. 13.* ad istum casum extendunt: cum enim ponamus, quòd Novalia ad alterutram Ecclesiam pertineant, negari nequit, ad alterutram etiam decimas pertinere, ac proinde Episcopus malè eas vel sibi, vel tertiæ Ecclesiæ applicabit.

Si denique limites Parochiarum 385 quoquo modo apparent, decimæ inter eas dividendæ erunt juxta modum ac portionem spatij, quod Novalia in singulis earum occupant, ut disponitur *cit. c. 13.* & notant ibi communiter DD. Unde neutiquam audiendus est Pirhingius, quando *h. t. n. 102.* post assertam hanc divisionem addit: *vel Episcopus, cui voluerit, poterit totas assignare.*

Assert. III. Decimæ Novalium 386 debentur Parocholoci, ubi fiunt, tametsi vi præscriptionis alia vel

Y3 Eccle-

Ecclesia vel Persona Ecclesiastica jus decimandi ibi habeat. Sic omnes Theol. & Canonistæ vi cap. 29. *h.t.* ubi deciditur, quod cum perceptio decimarum ad parochiales Ecclesias de Jure communi pertineat, decima Novalium, quæ sunt in Parochijs earundem, ad ipsas pertinere procul dubio noscuntur; nisi ab his, qui alias percipiunt decimas (antiquas videlicet) rationabilis causa ostendatur, per quam appareat, novalium ad eos decimas pertinere. Quod autem rationabilis causa, vi cujus decimæ novalium ad decimatorem extraneum pertineant, non sit præscriptio, patet I. Quia sine possessione præscriptio non procedit. *reg. 3. Fur. in 6. & c. 15. de Præscr. & tantum quis præscribit, quantum possidet. l. 7. ff. pro emptore. l. quod meo. ff. de acqr. poss.* neque præscriptio locum habet, nisi in illo actu, quem in re exercuit. *l. 1. §. 4. ff. de itin. act. ñque priv.* nec extenditur ad futura, quantumvis similia, uti notant Panor. *in cit. c. 29. n. 5. Marian. Socin. vol. 2. conf. 175. col. 3. Rebuff. q. 14. n. 12.* Atqui novalis ager quoad jus decimandi non fuit possessus, utpote antea incultus & decimas non reddens. Patet II. Quia præscriptio est odiosa, cum juri alterius detrahat, ergo strictè interpretanda est, nec extendenda ultra id, quod fuit possessum. *arg. c. 25. §. 2. & c. 30. h.t.* Eadem est ratio de consuetudine,

ut post Hostiens. Panor. aliorumque communem observant Rebuff. *n. 16. Guttier. qq. Can. l. 2. c. 21. n. 81. Moneta c. 4. q. 3. n. 83. Suar. c. 22. n. 9. Werndle l. 4. c. 4. concl. 2.* Ratio patet: quia etiam consuetudo supponit possessionem; at possessio juris decimandi in fundo antea inculto, & consuetudo inde colligendi decimas non dabatur.

Igitur dubitatur, quæ sit illa rationabilis causa, ob quam juxta *cit. c. 29.* extraneus decimator præter antiquas, etiam novalium decimas exigere potest? Triplicem assignant Rebuff. *l. c. à n. 17. Guttier. l. c. à n. 100. Moneta à n. 84. Werndle l. c. concl. 1.* ac alij, ac assertionem limitant Primò, quando quis præscripsit decimas alicujus fundi, censetur eas præscripsisse quoad totum fundum; unde si pars hæctenus inculta postea colatur, decimas jure exiget, qui hæctenus ex parte fundi culta percepit, ut cum Joan. Andr. Felin. Vincent. Brun. Panor. *vol. 2. consil. 71. n. 2. ac Balb. de præscript. p. 3. q. 2. n. 17. docent Rebuff. n. 30. Guttier. n. 101.* Quod Panor. ait esse verissimum, si ager fuit majore sui parte cultus, quia tunc major trahit minorem. *arg. c. de Consecr. Eccl. c. un. eod. in 6. l. 18. §. 12. ff. de Frustr. vel Frustrum. leg.* Hinc in *Statutis Bavar. tit. 28. art. 13.* benè dicitur, si extremitates agrorum die Vorländer / quæ sæpe cum pro pastu pecorum tum alias ob causas incultæ

incultæ relinquuntur, ad culturam redigantur, decimas inde deberi illi, qui decimas ex fundo reliquo colligit. Ratio est: quia eadem res non debet diverso jure censeretur. *c. 30. h. t. c. 24. 12. q. 2. l. cum qui ff. de usucap.* Hæc tamen neutiquam sic intelligas, quasi præscriptis quorundam agrorum ad unum prædium vel pagum pertinentium decimis, præscriptæ censeantur in toto fundo ad illud prædium vel pagum pertinente; sic enim ejusmodi decimator exigere posset etiam decimas novalium, si sylva vel pratum ad illud prædium pertinens in agrum conversum est; quod nemo dixerit: sed intelligi assertio debet de certa parte fundi, v. g. hac sylva, horto, agro, certis limitibus definito; tunc enim si aliqua ejus pars prius inculta ad culturam redigatur, decimæ inde debentur illi, cui prius ex reliquis ejusdem partibus pendebantur, ut bene monent Rebuff. *n. 21. Guttier. n. 102. Steph. Gratian. tom. 3. c. 425. n. 15.*

388 Secundò limitant communiter DD. *in cit. c. 29. & c. 1. de præscript. in 6.* & ajunt, si quis sine titulo per tempus immemorabile, vel cum titulo per 40. annos fuerit in possessione colligendi decimas ex novalibus, quæcunque prius in hac Parochia surgebant, ejdem jus colligendi competere de novalibus, quæ etiam in posterum intra eandem Parochiam surgent. Quæ

doctrina licet difficultatem patiatur, quia non apparet, quomodo qui in possessione hæcenus fuit quoad aliquod fundos, & respectu aliquarum personarum, sit etiam quoad reliquos; non tamen vacat eam impugnare, tum quia rari usus, tum quia communis est DD. Procedit verò solum de personis Ecclesiasticis; cum laicis, ut dicemus, nulla circa decimas suffragetur præscriptio vel consuetudo.

Tertiò limitant in casu, quando ex sylva v. g. vel prato jam antè aliquid decimarum ab extraneo fuit perceptum: tunc enim, ajunt, ejusdem, & non Parochi, erunt decimæ frumenti, si solum prati illius vel sylvæ eradicatæ feratur. Verum cum hæc agamus de novalibus propriè dictis, hæc non isthuc, sed ad seq. q. pertinent.

389 Assert. IV. Laicis, quibus jus decimandi in feudum concessum est, vi illius non debentur decimæ Novalium. Sic deciditur *c. 25. h. t. Nec enim occasione decimationis antiquæ [licet in feudum decima concessa sint] sunt decima novalium usurpanda, cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda.* Est autem hæc sermo de concessione laicis facta. Eadem est ratio de privilegio decimandi laicis concessio: quia est odiosum, & sic non comprehendit ea, quæ aliàs venirent ex dispositione favorabili, nec in concessione jurium simpliciter facta veniunt jura,

jura, quæ postmodum oriuntur de novo, licet sint similia jam ortis, ut ait Panor. *in cit. c. 25. n. 7.*

Afferit quidem Decian. *vol. 1. resp. 22. n. 34.* sub privilegio etiam laicis concessio comprehendit novalia, si jus decimandi in universo aliquo territorio vel in aliqua villa concessum est, citatque Ant. Butrio & Panor. *in c. 30. h. t.* sed neuter de laicis loquitur, & obstant cum prædicta ratio, tum ea, & a fortiori, quæ mox dicemus de privilegio Ecclesiasticis concessio. Unde consequens est id, quod statuitur *c. 2. §. ult. h. t. in 6.* si laicus percepit decimas majores aut partem earum, ac eas postea concedat Religiosis, non posse istos, quamvis exempti sint, vi talis concessionis decimas novalium percipere: quia hæ penes laicum non fuerunt, & *et nemo plus juris in alium transferre potest, quam sibi competere noscatur. reg. 79. in 6.*

391

Assert. V. Privilegium decimandi etiam Ecclesiasticæ personæ, vel Ecclesiæ concessum non extenditur ad decimas novalium. Ita contra Gloss. Panor. aliorumque satis communem *in c. 27. h. t.* sentio cum Anchar. *in c. 25. h. t.* Fortun. Garc. *in l. Gallus §. et quid ff. de liber. et posthum.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 13.* Guttier. *l. c. n. 123.* Rebuff. *l. c. n. 29.* Suar. *c. 23. n. 5.* Barbosa. *in cit. c. 27. n. 3.* Palao *pun. 8. n. 12.* Pirhing. *h. t. n. 104.* Zoef. *h. t. n. 56.* Schambogen

*h. t. n. 54.* Gonz. *in c. 4. h. t. n. 9.* Solorzan. *tom. 2. l. 3. c. 21. n. 26.* ac fortiori tenent, qui ajunt, privilegium immunitatis non extendi ad decimas novalium, quosdedi supra *n. 143.*

Probatum I. *ex c. 31. de Privileg.* ubi supponitur, privilegium veterum decimarum, seu, quod idem est, absolute concessum absque speciali mentione novarum, non extendi ad novalia, nisi expresse addatur extensio, & quando additur, strictè dicitur interpretanda. Neque satisfacit, quod respondet Engel *h. t. §. 1. n. 10.* hoc intelligendum esse, vel de casu, quo concessio cederet in grave præjudicium Parochorum, vel quo Religiosi accepissent decimas de manu laicorum, ut in fine *cap. declarati* videtur. Nam textus loquitur absolute, & præjudicij Parochorum, ac Monasterij, vel concessionis a laicis factæ, non meminit, cum ultima capituli verba connexionem cum primis non habeant, ut patebit consideranti media. II. Privilegium decimandi clericis concessum, vel Ecclesiæ, etsi minus odiosum sit, quam concessum laicis, simpliciter tamen odiosum est, ac præjudicans tertio, ac per consequens restringendum; cum strictè sit interpretationis privilegium etiam ex causa pietatis concessum, si præjudicat juri tertij, ut cum Panor. *in c. 2. de Eccl. adif. n. 3.* tradit communis omnium. Vel igitur  
ea

ea sunt privilegij verba, ut salva verborum proprietate restringi possint ad decimas antiquas, & non extendi ad novas; vel omnes comprehendunt, ita ut sine impropria ac violēta interpretatione restringi ad antiquas non possint? Si prius: tunc æquè quoad Clericos quàm laicos restringenda sunt, utpote utrimque odiosa. Si posterius: tunc neque quoad laicos restringenda sunt; quia neque horum privilegium torqueri ad improprium sensum debet; nisi in sensu proprio acceptum injustitiam contineret. Hinc non placet distinctio, quam facit Engel *l. c.* inter Religiosos, qui in eadem Parochia ministrant sacra populo, & inter privatos Clericos ac extraneos Parochos, his negans decimas ex novalibus, illis concedens: nam privilegium etiam Religiosis concessum, simpliciter odiosum est, cum non ipsis, sed Parocho Jure Communi decimæ debeantur.

393 Neque obstat, quòd privilegium non solvendi decimas extenditur ad novalia juxta dicta *n. 195.* quia non est eadem ratio Privilegij negativi de non solvendis, quæ positivi de percipiendis: illud enim ex forma & vi verborum est magis universale propter negationem, dicitque, me non teneri ex meis prædijs aliquid solvere, quæ negatio est absoluta, nec absolute vera esset, si ex aliquibus prædijs (qualia utique sunt etiam novalia) aliquid

solvere tenerer. At privilegium percipiendi est affirmativum, & vi verborum solùm dicit, me posse eas colligere, quas modò colligit Parochia. Accedit, quòd illud minus præjudicij affert Parochiæ, quàm hoc; per hoc enim Ecclesia privatur decimis, quæ proveniunt etiam ex alijs prædijs; per illud duntaxat ijs, quæ ex meis. Neque rationes, quæ à *n. 195.* pro negativo privilegio ad novalia se extendente allatæ sunt, pugnant pro affirmativo; uti nec oppositiones, quæ contra illud ibidem adductæ sunt, pugnant contra istud, ut consideranti patebit. Hinc ex *cap. 22. de Privil.* quod pro illo discrimine inter Religiosos ac alios decimatores à P. Engel *l. c.* adducitur, benè quidem inferitur, eos vi privilegij de non solvendo non teneri solvere decimas ex novalibus; non verò, quòd vi privilegij decimas percipiendi possint ex iisdem etiam percipere, cum textus solùm loquatur de immunitate.

Quæ modò dixi, juxta non paucos solùm procedunt de privilegio in forma commuui concessio, quo videlicet simpliciter solùm fit potestas colligendi decimas in hac illave Parochia: non verò de illo, quod amplissimis verbis datur, v. g. si dicat Pontifex, se concedere omnem & quamcunque decimationem in Parochia A. Hac enim formâ includi etiam novalium decimas, post Archidiac. Dominic. ac

Z alios

alios censent, nec forsan immeritò, Rebuff. q. 14. n. 31. Gutier. l. c. n. 125. ac alij; qui enim totum dicit, nihil excludit *c. solis a de major. & l. Julianus de Legat. 3.* nec verum propriè esset, quascunque decimas concessas esse, si non essent concessæ etiam novalium. Verùm responderi potest, ob rationes pro nostra assertione allatas, sensum solum esse *quascunque veteres*, & quæ de facto percipiuntur. Quod addunt, eandem vim habere etiam hæc verba *omnem decimationem hujus territorij*, difficile mihi, nec admittendum esse videtur. Fatentur enim hi DD. non comprehendere decimas novalium, si Pontifex solus dicat, *concedimus tibi decimas hujus territorij*; cum ergo hæc indefinita propositio æquivalet universali *omnes decimas*, & tamen decimas novalium non includat, consequens est, eandem nec includi hac universali *Omnes*.

395 Illud verò ultrò patet, nec, ut existimat Wernde l. 4. c. 4. concl. 4. speciali notâ dignum est, si decimæ à decimatore alieno ad Parochiam, cui Jure communi debebantur, vel decreto Pontificio vel alio modo revertuntur, iterata hujusmodi & nova concessione comprehendere etiam novalium decimas: cum enim jus assistat Parochiæ, clarum est, concessionem, si absoluta sit & decimas novalium expressè non excipiat, etiam has involvere, tametsi penes illam non remanse-

rint, sed ad alienum fuerint devolutæ.

396 Hactenus dictis apertè contrarium videtur c. 27. h. 2. ubi Monasterio antiquas decimas possidenti, & novalium quoque decimas sibi concedi postulanti, Pontifex, velut gratis peterentur, utpote jam aliunde debitæ, respondit, omnino etiam has exigere posse, rationem addens: *quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*. Ergo, inferunt adversarij, eo ipso, quòd Monasterio vel Ecclesijs alijs per privilegium conceduntur decimæ ex antiquis prædijs, conceduntur etiam ex novis: hocque textu solo nituntur, velut abundanti argumento, quia claro.

397 Verùm R. ideò decimas novalium adjudicatas fuisse illi Monasterio, quia Jure communi ipsi debebantur antiquæ, ac per consequens etiam novæ, utpote ex proprijs Parochijs, ut patet ex textu ibi: *cum tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terra Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes*. Neque valet, quod illi communiter dicunt, eas Parochias non fuisse incorporatas Monasterio & proprias, sed Abbatem jus duntaxat Patronatus in illis habuisse, eò quòd non fuisset ulla ratio dubitandi de jure decimandi novalia, si Parochiæ pleno jure ad Monasterium pertinuissent, sic enim illæ decimæ, utpote



pote jam aliunde & Jure communi debitæ, gratis fuissent postulata. Non, inquam, hæc valent: quia, ut patet ex toto contextu decretalis, quam integram affert Rebuff. q. 14. n. 8. & Gonzal. in c. 30. h. t. n. 3. Parochiæ illæ pleno jure erant Monasterij: quia verò decimas novalium ex iisdem Episcopus loci concesserat cuidam Canonico, allegans consuetudinem, hanc Pontifex damnavit ut corruptelam, & illas, æquæ ac antiquas, Monasterij esse pronuntiavit. Rem ita habuisse, patet insuper ex allegatis verbis, *ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur*: hæc enim regula vera solum est deijs, quæ Jure ordinario alicui competunt, & à lege vel Canone sunt concessa; non verò de privilegio odioso (quale utique est etiam illud, quod contra Parochiam conceditur Monasterio) ut multis demonstrant Covarr. p. 3. de matrim. c. 8. §. 8. n. 37. Everh. loc. à minore n. 4. Sanch. de Matr. l. 8. disp. 1. n. 4. & 32. Barbosa de pot. Episc. p. 2. alleg. 33. n. 13. ac alij. Dum igitur Pontifex illam regulam allegavit, locutus est de decimis Jure communi, & non ex privilegio debitis.

398 Major est difficultas, quam hic ingerunt Statuta Bavar. tit. 28. art. 13. ubi dicitur: von demselben (Neubuch) gehert der Behend die drey erste Jahr einem Pfarz-Herrn desselben Orths, aber folgendes dem / der sonst den Behend der Enden hat. Quæ di-

spositio videtur Juri Canonico directè esse contraria, ut ibidè observat Illustriss. D. Schmid, benèque addit, ac ex antiquiore editione probat, esse potiùs declaratoriam antiquæ consuetudinis, quàm positivam & præceptivam. Et re verà ejus Commentatores ad consuetudinem duntaxat, & Ecclesiasticorum tolerantiam confugiunt: benè prorsus, si decimator, ad quem illæ post triennium devolvuntur, sit Ecclesia, cum huic vi præscriptionis vel consuetudinis jus decimandi in aliena Parochia competere possit: malè verò, si de laicis, de quibus tamen æquæ ac de Ecclesijs illa decisio loquitur: nam laicis nulla consuetudo, vel præscriptio, ac Parochorum indulgentia patrocinator, nisi eas habeant ab Ecclesia privilegio vel in feudum concessas. Itaque solum superest, ut dicamus, ex consuetudine immemoriali præsumi, quòd illæ decimæ à SS. Pontifice ad laicos sint devolutæ. Cui responsioni favent ea, quæ infrà dicentur de præsumptione privilegij ex laicorum immemoriali usu juris decimandi. Hinc verò consequens est, quòd si quis probare possit, laicos jus decimandi novalia sine privilegio usurpasse, Statutum illud vim non haberet.

Ex hætenus dictis sequitur, si ex privilegio decimæ communes sunt alicui Laico vel Monasterio, Hospitali, Academia &c. cum Parocho loci, hac communione non ob-

stante, decimas novalium totas deberi Parocho, nisi aliunde constet, illam communionem etiam ad novalia extendi.

999 **Affert. VI.** Is, cui conceditur privilegium percipiendi decimas novalium, non potest vi illius percipere illas, quas alius tempore concessi privilegij ex novalibus possidebat; sed solum ex ijs novalibus, quæ post privilegium impetratum fient. Ita statuitur *c. 2. prin. h. t. in 6.* ubi sermo quidem est solum de ijs, qui possident veteres decimas, & insuper novas impetrant; sed cum par sit ratio etiam de ijs, qui nec veteres antè percipiebant, idcirco absolute dicendum est, sub concessione novarum non intelligi eas, quas tempore privilegij ex novalibus alij jam possidebant: nisi de his in privilegio specialis fiat mentio. Idem aperte statuitur *c. 31. de privil.* Ratio statuendi erat, quia Pontifex nullius juri præjudicat, nisi id exprimat, ut traditur *cit. c. 31. 29. de privil.* ac passim alibi: dum igitur cuiquam concedit decimas novalium, mentione non facta earum, quas alij jam possident, censetur concedere

solum ex novalibus futuris.

**Affert. VII.** Qui decimas antiquas possident vel integras, vel ultra medietatem, ac postea impetrant privilegium percipiendi etiam novas, vi hujus (nisi plus exprimat) duntaxat dimidias percipere valent, uti statuitur *c. 2. §. 1. h. t. in 6.* Quia privilegium de percipiendis decimis ad aliam Ecclesiam pertinentibus valde odiosum est, & idcirco, ut ibidem dicitur, non est verisimile, situnc de plena & integra perceptione (ac absolute de ea, quæ est ultra medietatem, ut mox additur) veterum fuisse expressum, quod Apost. Sedes pariter & similiter novalium decimas in tam grave Parochialium Ecclesiarum præjudicium concessisset. Quin privilegium percipiendi novas intelligi debet concessum solum secundum illam quantitatem, quam impetrans prius percipiebat ex antiquis, ita ut si de his tantum habuit tertiam aut quartam partem, majorem etiam de novis percipere non possit, ut habetur *cod. c. 2. prin.* quo tamen Statuto ait Pontifex nolle se comprehendi Cistercienses & Carthusianos,

## QUÆSTIO VIII.

*Cui debeantur Decimæ, quando facies fundi mutatur.*

### SUMMARIUM.

401. Fundi

401. Fundi faciem colonus pro arbitrio mutare potest, & ex novis duntaxat fructibus, et si vilioribus, tenetur ad decimas.
402. Is, cui vi transactionis, praescriptionis, vel privilegij, debentur certa speciei fructus, eandem illam speciem colligit, si post mutatam culturam provenit.
403. Si hinc nimium gravaretur Parochus, compensatio ipsi facienda foret.
404. Ab eo, qui novos fructus colligit, non à Parochianis.
405. Laico decimatori nulla debetur compensatio.
406. Quij decimandi vi transactionis, aut praescriptionis, in certis fundis habet, colligit ex quibusvis fructibus, qui variata culturâ proveniunt.
407. Concordat Jus Bavaricum: sed cum limitatione.
408. Occurritur objectioni.
409. Habens privilegium colligendi decimas ex certis v. g. vineis, nequit colligere ex frumentis, si illa mutata fuerint in agros.
410. Ratio assertionis.
411. Laicus solam quasi possessionem immemoriam allegans, nequit ex alijs fructibus colligere, quàm ex quibus hætenus collegit.
412. Contrarium statuitur de decimatore Ecclesiastico.
413. & seqq. solvuntur opposita.
418. Si fundus prius tulit fructus non decimabiles, debentur ex novis decima.
419. Debentur Parocho, non illi, qui hætenus decimas antiquas in hac Parochia collegit.
420. Nonnulli casus excipiuntur.
421. Quorundam opinio, deberi decimas fœni, si ager vertitur in pratum, etiam ibi, ubi aliàs decima ex fœno non solvuntur.
422. Negativa praesertur.
423. Rationibus firmatur.
424. Solvuntur opposita.
425. Limitatio quadam additur, alia rejiciuntur.
426. 427. Casus particularis resoluitur.
401. **F**acies fundi mutari dicitur, quando mutatur ratio culturæ, v. g. si ex prato vel vinea fit ager, aut vicissim; aut si ager prius consitus frumento, postea conferitur alijs leguminibus, v. g. pisis, fabis, ciceribus, lentibus, panico, milio, lupinis, phaseolis &c. quæ multis in locis inter minores Decimas censentur; aut oleribus, rapis, lino, cannabe, nicotiana seu tabaco, lupulo &c. Cujusmodi mutatio si fiat, fundus erit novale, at solum improprie dictum. De ejus decimis tria controversa sunt. I. Cui debeantur, si ex prato v. g. vel vinea fiat ager, & alius decimas vini vel fœni, alius frumenti in illo territorio

no possideat? II. An debeantur, si ex foeno de consuetudine nihil solvitur, & ex prato fiat ager? III. An & cui debeantur, si vicissim ex agro fiat pratum? Antequam mentem meam super his quaestionibus aperiam, suppono ex communi DD. & c. 4. b. t. posse fundi dominum pro arbitrio culturam mutare, nec ab Ecclesia vel decimatoribus impediri à variatione posse, dummodo id non faciat animo fraudandi, solvatque decimas ex novis fructibus pensitari solitas. Diximus *ex novis fructibus*: non enim si fundus nunc ferat foenum v. g. vel rapas, tenetur solvere decimas frumenti, quas antea ex agro pendebat, ut rursum tenet communis; sicut vicissim non satisfaciet pendendo decimas foeni antea pensitatas, si fundus nunc ferat frumentum. Ratio patet: quia decimae sunt onus fructuum, ac per consequens sunt praestandae ex fructibus, qui nunc proveniunt; non, qui antea provenerunt. Unde rursum consequens est, quod ad nihil teneatur, si fundum relinquit incultum & nullos fructus colligit.

402 Assert. I. Si decimae per transactionem, praescriptionem, aut privilegium ita divisae sunt, ut Parocho v. g. assignatae fuerint minores ex foeno, oleribus, fructibus arborum &c. majores vero alteri, v. g. Monasterio aut Hospitali, aut huic decimae ex frumento, illi ex vino, tunc si pratum aut vinea convertatur in agrum, decimae fru-

menti pertinent ad Monasterium: vicissim si ager desinat conferi frumento, & in pratum redigatur vel vineam, aut conferatur oleribus, rapis, &c. decimae non amplius erunt Monasterij, sed Parochi. Ita tenent Hostiens. *in summ. b. t. q. 10.* Ant. de Butrio, aliique *in cit. c. 4. b. t.* Ancharan. *in c. 29. cod.* Rebuff. *q. 6. n. 35.* Covarr. *pract. l. 1. c. 17. n. 13.* Guttier. *99. Cam. c. 21. n. 97. & 107.* Nicol. Everhard. *Jun. vol. 1. conf. 46. n. 5.* ac alij. Assertio videtur esse certa: nam si dicto modo assignatae sunt decimae, absque mentione certorum fundorum, censetur divisio ita esse facta, ut undecunque proveniant majores, debeantur huic, & unde ac quodcumque minores, debeantur illi: servaturque haec ratio aequalitas, dum sicut ob variatam culturam iste nunc percipit majores ex fundo, ex quo alter prius perceperat minores; ita vicissim decimator minorum poterit has percipere, si fundus, qui hactenus ferebat majores, postea ferat minores.

Si tamen per variationem culturae nimis gravaretur Parochus, quia decimae v. g. minores aut vini, quae ipsi competunt, ob mutatam culturam jam non solvuntur, compensatio ipsi vel pecuniaria, vel ex frugibus, facienda est ab eo, qui decimas frumenti colligit, uti deciditur c. 2. §. 2. b. t. in 6. & c. 9. cod.

Diximus I. Compensationem faciendam esse ab eo, qui decimas frumenta-

frumenti colligit: huic enim idoneis merito inungitur; non vero communitati seu Parochianis: cum enim isti solvant decimas, quas Ecclesia ad suorum Ministrorum sustentationem exigit, ad nihil amplius tenentur, ac consequenter obligatio alendi Parochum erit illius decimatoris, ad quem pervenit, quod pro alendo Parocho Parochiani solvunt.

405) Diximus II. Compensationem faciendam esse Parocho: si enim laico decimatori per illam fructuum mutationem aliquid decedat, nulla ipsi debetur compensatio, tamen si novi fructus non ad Ecclesiam, sed ad alium laicum perveniant. Ratio patet: quia congrua sustentatio ex fidelium decimis & oblationibus Jure naturali & Divino Parochis debetur, non laicis: unde sicut istis per contractus & prescriptionem alia sua jura & emolumenta decedere possunt, & transferri in alios, ita etiam jus decimandi, estque per accidens, & inter casus fortuitos numerandum, si post ablatas decimas aliunde non habeant, unde alantur. Porro sicut Parocho, ita etiam locis pijs, v.g. Monasterijs, Hospitalibus &c. compensationem aliquam arbitrio Judicis sacri faciendam esse existimo, si à Superiore Ecclesiastico assignata ipsis sustentatio fuit ex decimis, & postea eâ priventur per culturæ variationem jusque decimandi in alios sive laicos sive

Ecclesiasticos translatum: quia cum mens Pontificis fuerit, ut sustentationem, quam aliunde non habebant, haberent ex decimis, censendum est, voluisse eundem, ut absolutè ex decimis alerentur, ac idcirco, ut si illis, quas primò assignarat, succederent aliæ, ex istis modò alerentur; nisi interim aliunde accessisset aut facillè accedere posset, unde defectus assignatarum decimarum suppleretur.

Assert. II. Qui decimas ex certis fundis colligendi jus obtinuit per transactionem, consuetudinem, vel prescriptionem, poterit colligere decimas ex omnibus fructibus, qui ex illis fundis proveniunt, quæcunque variatio culturæ fiat. Unde si tempore juris acquisiti percepit decimas solum minores, quia fundus tunc erat pratum, aut hortus arboribus vel oleis confitus, poterit postea percipere etiam majores, si mutata culturâ frumentum inde proveniat. Ita post Hostiens. Panorm. Felin. Anchar. Ant. de Butrio, sentiunt Rebuff. q. 14. n. 14. & 18. Covarr. pract. c. 17. n. 17. prim. Balb. de prescript. 2. p. prim. q. 2. n. 17. Guttier. Cam. 99. l. 2. c. 21. n. 92. 99. & 103. Nic. Everhard. l. c. Harpprecht. prim. Inst. de usucap. n. 252. Suar. c. 21. n. 10. aliique communiter. Videtur casus esse expressus c. 31. de priv. c. 30. & c. 4. h. t. ibi: sicut etiam de pascuis olim decimæ persolvebantur, ita nunc de ewacem

*eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolvi.* Ubi licet sermo sit de Parochia, cui iure communi decimæ debentur, ratio tamen procedit etiam de alio decimatore, cui constat jus decimandi absolute esse concessum: idcirco enim Parocho, cui prius soluebantur minores, nunc debentur majores, quia absolute jus habet ex his fundis colligendi decimas; ergo si cuiquam alteri absolute, & sine restrictione ad certos fructus, jus quæsitum fuit in certis fundis, poterit decimas petere ex quibuscunque fructibus, qui inde proveniunt. Quod de Ecclesijs in possessione decimandi existentibus, à S. Congr. Concil. a. 1649. decisum esse refert Pignatelli *tom. 1. consult. 358. n. 1.*

407 Juri communi concordat Jus Bavaricum *tit. 28. n. 11.* his verbis: Wann ein Zehend: Herz den kleinen Zehend niergend dann allein in den Garten hat/so soll ihm der Zehend von allerley darin gebaütem Früchten/wann es gleich N.B. schwer Betrayd wäre/ folgen/ und zustehn. Hingegen wann gleich im Feld Kraut/ Rieben/ und anderes zum kleinen Zehend gehörig/ gebaüet wurde/ soll der Zehend dem folgen/ welcher den grossen Zehend hat. Quæ verba procedunt de casu nostræ assertionis, quo videlicet assignatio decimarum non secundum certos fructus, uti in casu prioris assertio-

nis, sed juxta certos fundos facta est. Illud verò, quod ibidem subiicitur, peculiare est, & primam nostram assertionem non parum limitat. Sic autem habet: Hätte aber der Zehend: Herz des kleinen Zehend solchen nit nur in den Garten/sonder auch außserhalb in Feldern Zefängen/ soll ihm gleichwol der Zehend von allen Früchten in den Garten folgen/ aber auf dem Feld soll er den kleinen Zehend/ zuverstehen von den Früchten/ die nach Inhalt des folgenden 12. Artikuls/ zum kleinen Zehend gehörig/ allein auf einer halben Zuchard Ackers/ bey jedem Mays haben/ das übrige dem folgen/ welchem der groß gehörig ist. Igitur quamvis de Jure communi illis, qui absolute, & absque restrictione ad certos fundos, jus habent colligendi decimas minores, istæ debeantur integræ juxta *n. 402.* undecunque proveniant: in Bavaria tamen solum conceduntur ex dimidio jugero singulorum colonorum. Ratio sic statuendi haud dubie erat antiqua consuetudo, & ex consuetudine præsumptum quoad laicos ( utpote quibus sola consuetudo non patrocinatur ) privilegium. Forsan æquitas decisionis etiam ex eo peti posset, quòd ijs, quibus decimæ solum ex hortis concessæ sunt, decimæ tantum minores concessæ videantur, quia ordinariè hæc solum ex hortis proveniunt. Cum igitur vi ejusdem articuli decimatori hortorum ultra minores decimas

simas competant etiam majores, si ex hortis proveniant, æquum videri potest, ut vicissim decimator agrorum habeat minores, si istæ ex agris proveniant.

498 Dices: qui in fundo, ex quo hætenus colligebantur decimæ solum minores, præscripsit jus decimandi, jus duntaxat minorum præscripsit, quia plus præscribi non potest, quam possideatur: ergo si postea ille fundus ferat majores, istæ vi præscriptionis non competent, & neg. ant. quia etsi jus decimandi immediatè solum detur in fructus, ejus tamen quasi possessio & præscriptio afficit ipsum fundum decimalem, & non hos vel illos certos fructus: unde quomodocunque ille fructificet, præscribenti fructificat quoad decimas, estque varietas fructuum solum per accidens, uti patet ex *cit. c. 4. h. t.* ob rationem, quæ datur *c. 30. eod.* quòd eadem res non debeat diverso jure censerì. Non tamen negamus, fieri posse, ut possessio non sit in ipsis fundis, sed solum in fructibus, v. g. si quod Monasterium à longo tempore collegit decimas vini, ex quibuscunque fundis Parochiæ illud proveniret; Parochus verò decimas frumenti. Hoc casu possessio erit non quoad fundos, sed solum quoad fructus, & idcirco, si vinea vertatur in agrum, decimæ jam non Monasterij, sed Parochi erunt; & vicissim, si ager vertatur in vineam, Monasterium, non Pa-

rochus illam decimabit, ut pòt. Innoc. Anchar. ac alios benè tradit Rebuff. *q. 13. n. 61.* & patet ex dictis *n. 402.* Idem dicendum est, si Monasterio v. g. concessum sit privilegium universale colligendi decimas vini: si enim vineæ postea mutantur in agros, non poterit vi privilegij decimas frumenti colligere. At poterit colligere ex vino, si agri mutantur in vineas, cum limitatione tamen, de qua *n. 403.* Si verò decimæ v. g. vini solum præscriptæ fuerunt in certis fundis, colligere præscribens eas nequit ex alijs, qui fortè in vineta convertuntur: valet enim hîc illud, plus non esse præscriptum, quam fuerit possessum.

Assert. III. Si quis in quibusdam 409 certis fundis vi privilegij colligit decimas v. g. fœni aut vini, & postea pratum vel vinea convertatur in agrum, decimæ frumenti non ad ipsum, sed ad Parochiam pertinent. Casus longè diversus est ab eo, quem posuimus *assert. 1. n. 402.* quando videlicet constat, ex privilegio vel præscriptione deberi in aliqua Parochia vel territorio certæ speciei decimas uni, alterius alteri: tunc enim, ut diximus, mutatis fructibus mutatur decimator, ita ut decimæ v. g. frumenti jam non sint illius, qui prius collegerat, decimas vini; sed illius, qui in illa Parochia hætenus collegerat decimas frumenti. Hîc verò ponitur casus, quo non con-

A a stat

stat de fructibus certis huic vel illi concessis, sed solum, quod ex hoc illove fundo unus ex privilegio, v.g. laicus, collegerit decimas vini (quia haecenus haec solae inde proveniant) alius decimas frumenti. Idemque in isto, quod in priori casu, dicendum esse existimo. Pone ergo, pratum vel vineam, ex quo laicus haecenus collegit decimas foeni vel vini, converti in agrum: dico, jus colligendi decimas frumenti jam non esse penes laicum, sed penes Parochum, vel eum, qui vi praescriptionis haecenus frumentum decimavit.

¶ 10 Ratio est: quia privilegium decimandi, utpote contrarium Juri communi & privato Parochi, est odiosum, & ut omnes fatentur, strictissima, saltem quoad laicos, interpretationis. Cum ergo ex usu privilegij & decimatione a laico haecenus facta solum colligatur, quod obtinuerit privilegium decimandi v.g. foenum, ac aliunde, ut ponimus, non constet, fuisse privilegium absolutum, seu datum ad decimas hujus fundi, quaecunque illae forent, consequens est, praesumi debere (nisi contrarium aliunde constet) quod datum fuerit solum ad illius certae speciei decimas, quas fundus haecenus ferebat, ejusque decimator hucusque solas collegerat: alia interpretatio non foret stricta (qualis esse debet) sed lata, quam horret privilegium odiosum. Ratio ulterior est: quia po-

test aliquis habere privilegium colligendi decimas foeni, quin habeat colligendi quascunque alias etiam ex eodem fundo, & sic dum illae fuerunt concessae, non hoc ipso concessae erant etiam reliquae: cum sub concessione alicujus juris simpliciter facta non veniat jus, quod postmodum oritur de novo, licet sit simile priori, ut patet ex c. 2 s. b. t. & observat ibi Panor. n. 7. maxime cum decimator foeni forsitan has tantum decimas a Pontifice petierit, utpote quas solas tunc fundus ferebat, & nec ratio forte fuerit, alias, quam has, concedendi.

Ex dictis patet, quod laicus decimator, qui praeter possessionem immemoriam alium titulum allegare non potest, illas tantum decimas exigere possit, quas haecenus collegit; non vero ullas alias, quae post mutatam fundi culturam proveniunt. Ratio est: quia in tali casu nec praescriptionem (haec enim in laicis locum non habet, ut infra dicetur) nec alium titulum, praeter privilegium, allegare potest: privilegium autem, ut diximus, ipsi solum quoad decimas hujus speciei, quas haecenus collegit, patrocinatur. Quae cum aperte, ut opinor, sequantur ex communissima T. & Canonist. doctrina de non extendendo privilegio odioso ad ea, de quorum concessione non constat, consequens est, quod pro hac assertione praeter rationem stet maxima DD. auctoritas.

Aliud



- 412 Aliud dicendum videtur de decimatore Ecclesiastico: huic enim etsi solum privilegium decimandi æquè parùm ac laico faveat quoad decimas novas post privilegium ortas, ut patet ex dictis *n. 391*. Si tamen tempore ad præscribendum requisito in possessione fundi decimalis fuit, allegare potest præscriptionem (quam allegare nequit laicus) & vi illius petere decimas novas, quas fundus antè non ferebat, juxta dicta *n. 406*.
- 413 Dices I. *c. a. b. t.* apertè statui, ut si quis ex aliquo loco percipere solitus fuerit decimas, eas habere debeat de omnibus, quæ in eo loco plantantur, etiam si ratio colendi fuerit mutata. *R.* Ibi sermonem esse solum de Parochijs: quibus cum Jus commune assistat, resistat verò privilegiatis, & longè dispar sit de utrisque ratio, argumentum ad hos ab illis peti ex illa decisione ne utiquam potest.
- 414 Dices II. Qui in aliquibus fundis præscripsit jus decimandi, poterit novos fructus, qui post variatam culturam proveniunt, decimare, æquè ac illos decimavit, qui tempore præscriptionis provenerunt, ut concessum est *n. 406*. ergo idem dicendum est de privilegio, cum præscriptio æquè odiosa & restringenda sit ac privilegium. *R.* neg. conseq. & paritatem: quia præscriptio, ut dixi *n. 408*. non certos duntaxat fructus, sed ipsum fundum decimalem afficit, & absolu-

tè obnoxium facit, obligatque præscribenti; unde consequens est, eisdem pariter obnoxium esse, quidquid fundus fert. E contrario, privilegium decimandi per se non extenditur ad quoscunque fructus, sed sæpe datur tantùm ad aliquos determinatos, v. g. vini, aut foeni. Cum ergo laicus, si solà possessione immemoriali se tuetur, nec ex forma privilegij (utpote quod nequit exhibere) ostendere possit, absolute concessas sibi esse decimas ex his fundis, neque id erui possit ex usu privilegij, cum iste hætenus fuerit solum circa has determinatas decimas vini, nullo sanè ex capite præsumi potest, quòd jus absolutum & in omnes decimas ipsi fuerit concessum. Unde cum ejus privilegium sit odiosum, & ita interpretandum, ut quàm minimùm noceat Ecclesiæ, in cujus præjudicium concessum fuit, consequens est, quòd sumi debeat tantùm de illis decimis, circa quas hætenus fuit usurpatum: aliàs si de quibusvis acciperetur, non strictè & cum minimo damno Ecclesiæ, sed latè fieret ejus interpretatio. Constat profectò cum ex varijs Juribus, tum ex ratione & consensu DD. ut fuse ostendunt Suar. *de leg. l. 8. c. 27.* Salas *disp. 17. sect. 8.* Sanch. *de Matr. l. 8. disp. 7.* Bonacina *disp. 1. q. 3. pun. 7.* Palao *tr. 3. disp. 4. pun. 10.* Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 13.* si privilegium præjudicat tertio, vel Juri communi, & dubium est, quæ

fuerit mens concedentis, ita exponi debere, ut de minimo procedat, si de hoc solo verificari potest: cum certum sit, nunquam censi derogatum Juri vel communi vel tertij, nisi de derogatione constet. Atqui in nostro casu dubium est, utrum laico concessum fuerit privilegium ad quascunque decimas ex his fundis, an solum ad aliquas, estque hoc privilegium adversum tam Juri communi, quam tertij, ergo &c.

415 Dices III. Mutatione qualitatis seu formæ non mutatur substantia fundi: ergo si privilegium habeo colligendi decimas ex fundo, colligere possum, qualescunque proveniant, cum idem semper fundus maneat, & varietas fructuum sit solum accidentaria. R. consequentiam tunc solum esse bonam, si ipse fundus absolute mihi obligatus sit, uti est, quando jus decimandi in ipso præscripti, aut quando privilegium absolute ad ejus decimas datum est: secus, si nec ex ipsa forma privilegij & tenore verborum, nec ex ejusdem usu constat, fueritne absolute, an solum in certis fructibus, quos fundus tempore dati privilegij ferebat, concessum.

416 Dices IV. c. 30. h. t. Pontifex Monasterijs, quibus decimæ majores & minores in aliqua Parochia erant solutæ, adjudicat etiam novas, quæ prius non percipiebantur, rationem addens: *cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia*

*diverso jure censi.* Hæc autem ratio pugnat pro omni casu, sive terra fuerit decimalis ex præscriptione, sive ex transactione, sive ex privilegio. R. I. Ibi agi de casu præscriptionis, ut Panor. Anton. de Butrio, alique supponunt, & patet ex summano capituli. At non est eadem ratio præscriptionis & privilegij, ut modo diximus. R. II. In casu capituli decimas tam majores quam minores fuisse solutas Monasterio; illius vero generis decimas, de quibus ibi controversum erat, cui deberentur, nec à Monasterio nec ab ullo altero antea fuisse collectas. Unde inferunt Hostiens. Panor. Joan. Ant. de Butrio *in cit. c. 30. & Rebuff. q. 14. n. 25.* si certi generis decimæ sint hæcenus solutæ non Monasterio, sed alicui alteri, & postea ejusdem generis fructus alicubi de novo proveniant, decimas inde deberi non Monasterio, sed illi alteri. Et de hoc ultimo casu sermo nobis est: ponimus enim, vineam, cujus decimas hæcenus percepit laicus, converti in agrum, & ex agris illius Parochiæ decimas non illi laico, sed alteri solvi. Hinc cum ijisdem DD. inferimus, eandem rem debere censi diverso jure, quando est diversa ratio, uti est in nostro casu. R. III. ibidem sermonem esse de casu, quo alicui absolute concessa est facultas decimandi, ut ibi notat Wagnerek. At ex privilegio, vi cujus laicus hæcenus percepti

cepit decimas vini, non constat illud procedere absolutè & de quibuscunque alijs decimis: in dubio autem præsumptio stat pro Ecclesia contra laicum.

417 Dices V. Non debet esse penes dominum fundi adimere decimas uni pro arbitrio, & adijcere alteri: atqui esset, si laicus, qui hæcenus collegit ex fundo decimas fœni, non posset ex eodem colligere decimas etiam frumenti, postquam pratum conversum est in agrum. R. hoc argum. nimium probari: sequeretur enim, vel non posse à domino culturam fundi mutari, vel decimas, quæcunque sint, ex eodem fundo semper deberi illi, cui semel debebantur. Neutrum verum est, ut patet ex dictis n. 402. Directè igitur & immediatè dominus fundi non potest pro arbitrio attribuere decimas, cui vult; potest tamen mediatè & per consequentiam, dum mutatà culturà (quæ ipsi est libera) vi vel consuetudinis, vel privilegij, vel transactionis, pro diversitate fructuum diversus est decimator.

418 Assert. IV. Si fundus priùs ferebat fructus, de quibus ex consuetudine decimæ non solvuntur, v. g. fœnum, & postea ferat fructus decimabiles, v. g. frumentum, de his solvendæ sunt decimæ, haud secùs, quàm si frumentum inde semper provenisset, aut fœnum fuisset decimatum. Conveniunt in hac assertione DD.

Ratio aperta est: quia consuetudo, utpote quæ stricti juris est, & usurpata se non extendit, solum exceptit fœnum, non verò fundum absolutè exemit ab onere decimarum, ergo si is postea ferat alios fructus, quos consuetudo à decimis non fecit immunes, solvendæ hæerunt, æquè ac ex alijs fundis ejusdem generis fructus ferentibus. Siquis verò prætenderet, consuetudine legitimè præscriptà suum fundum non solum quoad hos certos fructus, sed absolutè quoad omnes esse exemptum, probatio ipsi incumberet, quam tunc justam afferret, si ostenderet, pratum, quod modò convertit in agrum, jam olim fuisse agrum, & neque tunc decimas inde fuisse solutas.

Assert. V. In casu modò posito 419 decimæ novorum fructuum debentur Parocho; non verò alteri, cui decimæ antiquæ in illa Parochia ex præscriptione, privilegio, vel infeudatione competunt. Ita rursum communis DD. nemine, quem sciam, refragante. Ratio est: quia si fundus, qui priùs tulit fructus non decimabiles, modò ferat decimabiles, propriissimè novalis est: cum novale non solum tunc sit, quando terra priùs sterilis & omnino inculta ad culturam redigitur; sed etiam tunc, quando priùs tulit fructus oneri decimarum non subjectos, nunc verò fert subjectos, ut partim tradunt, partim supponunt DD. præsertim Gloss. in c. 4. h. r.

A 2 3 Panor.

Panor. *in c. 21. de V. S. n. 1.* Rebuff. *q. 14. n. 22.* Suar. *c. 22. n. 9. & 10.* Bern. van. Espen *Jur. Eccl. p. 2. tit. 33. c. 6. à n. 8.* Wagnerek *in c. 13. h. t. not. 1.* Nec tantum juxta Canonistas, sed etiam juxta lectum *l. ult. ff. de term. motu*, Novale est, si sylvâ eradicatâ fundus seminatur, non obstante, quod sylvâ non sit omnino sterilis, sed lignorum fructus ferat. Unde apertum est, quod si pratum, ex cujus fœno decimæ non solvuntur, vertatur in agrum, ejus decimæ debeantur Parocho, quia huic debentur decimæ novalium; non illi, cui vi præscriptionis aut consuetudinis debentur antiquæ, ut dixi *n. 386.* nec illi, cui concessæ sunt in feudum, vel ex privilegio, ut *n. 390. & 391.*

420 Excipitur I. Casus, quo quis vel privilegio vel præscriptione acquisivit jus decimas novas æquæ antiquas colligendi, aut solas novas, juxta dicta *n. 387. & 388.* II. Quando prius ex prato vel sylvâ aliquid, saltem non modicum, vi præscriptionis percepit: tunc enim etiam ex alterius generis fructibus postea provenientibus colligere decimas poterit, ut diximus *n. 406. & 408.* III. Quando fundus ex prato in agrum conversus jam olim fuit ager: tunc enim percipiet decimas frumenti, sicut olim; quia quoad has fundus ipsi mansit obligatus, non obstante, quod tempore intermedio, quo fuit pratum, fructus decimabiles non tulit.

Dubium superest, an si vicissim 421  
ager convertatur in pratum, decimæ verò feni ex consuetudine vel privilegio non solvantur, has possit exigere, qui prius ex agro percepit decimas frumenti. Affirmant Card. Luca *disp. 4. de decim. n. 13. & 14.* & Pignatelli *tom. 1. conf. 358. n. 2.* Ratio est I. Quia Canonistæ *ex c. 4. h. t.* velut regulam statuunt, si prædij cultura mutetur, vel ex urbano fiat rusticum, manere obnoxium oneri decimarum, & prioribus subrogari novas ex novis fructibus. II. Quia etsi mutetur terræ qualitas, manet tamen substantia: manet ergo obligata quoad decimas. III. Fundus servituti obnoxius non potest mutari in præjudicium servitutem habentis: ergo neque mutari potest quoad onus decimandi; aliàs proprietarius pro arbitrio conditionem decimatoris deteriorem facere posset, & evertere jus ipsi quæsitum. IV. Uti dicitur Pignatelli *l. c. lex, quæ habetur c. 5. 6. 21. 22. h. t. de solvendis decimis ex omni re fructifera*, diversa est ab ea, quæ habetur *c. 4. h. t. de subrogatis fructibus*: ergo licet per consuetudinem derogatum sit priori, ita ut ex aliquo fundo nullæ solvantur decimæ; non tamen propterea derogatum etiam est legi posteriori, vi cujus ex fundo semel obnoxio decimis solvi istæ debent de fructibus novis, qui prioribus succedunt: quia consuetudo est stricti juris *l. 1. §. si quis ff. itin.*

de itin. actūque priv. & sic dum tollit unam legem, non hoc ipso tollit etiam diversam.

422 Assert. VI. Quando ager, ex quo hactenus soluta sunt decimæ frumenti, convertitur in pratum, non datur obligatio solvendi decimas. Si, si ista ex consuetudine in illa Parochia non solvuntur. Ita sentio cum Pirrhingio *h. t. n. 119*. Illustriss. D. Schmid *semicent. 2. contr. 29. n. 5*. P. Jac. Wex *Manip. decim. q. 6. n. 12*. Prænob. D. de Clingensperg *tr. de decim. assert. 56. n. 4*. Concordat Jus patrium *tit. 28. art. 15*. Et quamvis *art. 10*. contrarium statui videatur, quia dicitur, si in agro, ex quo hactenus frumentum provenit, serantur rapæ, brassica, milium, linum, cannabis &c. de his fructibus solvendas esse decimas, uti prius de frumentis: cenfeo tamen responderi posse, ibi sermonem esse solum de casu, quo illi fructus sunt obnoxij decimis; non verò de illo, quo per consuetudinē sunt exempti. Ratio asserti est: quia jus decimarum per se non est immediatè annexum fundis, sed fructibus, ut ostendi supra à *n. 137*. ergo si fructus sunt tales, ex quibus decimæ non solvuntur, decimator jus exigendi non habet, tametsi ex alijs fructibus ejusdem fundi prius collegerit: tum enim collegit non ratione ipsius fundi, sed fructuum decimationi obnoxiorum.

423 Confirm. I. Qui fundum omni

culturâ destituit, decimatori ad nihil tenetur: ergo neque, si conferit fructibus non decimalibus. Non enim est potior ratio pro hoc, quàm pro illo casu: quia fructus decimationi non subjecti ad eam perinde se habent, ac si omnino nati non essent. Confirm. II. Æqualitatis ratio videtur postulare, ut sicut solvendæ sunt decimæ, si fundus, qui prius tulit fructus non decimabiles, nunc fert decimabiles; ita vicissim non solvantur, si prius tulit decimabiles; nunc verò non decimabiles. Confirm. III. Si agri culturâ destituantur, & in sylvas excrescant (ut tempore belli Suecici multis in locis contigit) nemini decimatorum in mentem venit decimas lignorum exigere: non aliam ob causam, quàm quia ligna de consuetudine non decimantur. Stat ergo praxis pro nostra assertione.

Ad I. Rationem in oppositum *n. 424* regulam illam non absolutè & in omni casu procedere: aliàs semper ille, qui ex fundo percepit aliquandiu majores decimas, jus haberet ex eodem percipiendi minores, ac vicissim: quod falsum esse constat ex dictis *n. 402*. Quando igitur *civ. c. 4*. dicitur, ex fundo ad fertilitatem frugum translato debere etiam Monachos decimas solvere, si prius ex ejusdem fundi pascuis solverunt, sermo est de frugibus oneri decimarum subjectis, non verò de exemptis. II. & III. ratio supponit ipsum fundum immediatè obligari

ad

ad decimas. At hoc rejeci *cit. n. 137.* Unde non est paritas inter servitutem & jus decimandi: illa enim inhæret immediatè fundo, ut patet ex *l. servitutes § si antea. ff. de serv. urb. præd. l. sed si quid § proprietates ff. de usufr. l. etsi fortè §. fin. ff. de serv. vend. l. certogenesi §. si totus. ff. de serv. rust. præd. & latè tradit Cæpolla *tr. de serv. rust. præd. c. 9. à n. 40.* Ad id, quod additur, juxta nostram opinionem fore in arbitrio proprietarij jus decimatori quæsitum tollere, respondi *n. 417.* IV. Ratio pariter malè supponit, quòd *cit. c. 4.* loquatur de quibusvis fructibus subrogatis: assero, loqui solùm de illis, ex quibus solent pendì decimæ; idque probant rationes *n. 422. & 423.* allatæ, nec contrarium evincit ulla vel lex vel ratio.*

425 Limitatio tamen assertioni addenda est, quam feci supra *n. 403.* Limitant aliqui II. in casu, quo quis odio decimatoris agrum in pratum converteret. Verùm cum hic utatur jure suo, non peccat contra Justitiam, neque ad solvendas decimas tenetur, quamvis peccet contra charitatem, ut benè notat Fagund. *in 5. præcept. Eccl. l. i. c. 6. n. 10.* Non tamen nego, si de hujusmodi malignitate constaret, & proprietarius probare non posset, suâ interesse variare culturam, compelli eundem à Magistratu posse ad continuandam priorem culturam. Limitant III. ajuntque, assertionem non procedere, si quis

in præjudicium decimatoris rationem culturæ mutaret. Verùm vel fermo est de decimatore Parocho, Monasterio, aut Hospitali, cui sustentatione assignatæ sunt decimæ, & cui his subtractis illa subtracteretur; vel de decimatore alio, cui privilegio, præscriptione &c. acquisitum est jus decimandi? Si prius: versamur in casu limitationis primæ, de quo *cit. n. 403.* Si posterius, malè fit limitatio: quia sequeretur, aut licitam proprietario non fore variationem culturæ, aut hæc variatâ decimas, ut prius, solvendas esse: hoc autem nec ipsimet admittunt, & falsum esse patet ex dictis *n. 403. 417. & 422.*

46 Ex dictis patet responsio ad casum, quem proponit Nic. Everhard. Jun. *vol. 1. cons. 46.* Parochus alicubi habuit jus percipiendi decimas ex frugibus hirsutis von dem rauchen Gertraid / videlicet de hordeo & avena Gersten und Haber; Nobilis laicus de frumento plano vom glatten Gertraid / tritico nimirum seu filigine dem Weizen / zea seu spelta Dinkel / Fesen / oder Kern / & secali Rosen. Ratio culturæ mutata est, & frugibus hirsutis successerunt planæ. Quærebatur, decimæ ex istis cui deberentur, Parocho, an Laico? Parocho fuisse debitas, sequitur ex dictis à *n. 409.* quia laicus decimas nec quoad certos fructus, nec quoad certos fundos præscribere potest, sed tantùm habere ex privilegio vel feudo; hoc verò cum stricti juris

juris sit, præsumitur datum esse non solum quoad certos tantum fructus, sed etiam quoad certos solum fundos. Ut igitur prætere possit jus percipiendi decimas ex tritico in agris, in quibus hætenus Parochus percepit ex hordeo, aut privilegium hujus juris exhibere debet, aut probare, quòd à tempore immemoriali sui antecessores decimas ex his fundis perceperint, quicumque fructus inde provenissent. Consentit Everhard. l. c.

& Monasterium, aliúmve decimatorem Ecclesiasticum, & hic probare posset, se hætenus promiscuè ac universim decimasse triticum & secale in hac Parochia, Parochum avenam duntaxat & hordeum, jus ipse, & non Parochus, haberet triticeas decimas ex agris controversis colligendi, juxta dicta n. 402. & 412. E contrario penes Parochum jus foret, si alter ex certis duntaxat agris illas percepisset, juxta dicta n. 406.

427 Si verò lis esset inter Parochum

## C A P U T II.

De Ecclesijs & Ecclesiasticis, quibus debentur Decimæ Jure extraordinario.

### Q U Æ S T I O I.

An Transactione, Compromisso, aut Permutatione, acquiri Jus Decimandi possit.

#### S U M M A R I U M.

428. Multiplex modus acquirendi Jus Decimandi.

429. Acquiritur Transactione.

430. Requisita & effectus talis

Transactionis.

431. Etiam Compromisso obtinetur.

432. Et Permutatione.

428 Cùm hætenus decisum sit, quibus Ecclesijs & Clericis Jure ordinario jus decimandi competat: sepe verò hoc jus possideant Ecclesiæ & Clerici, quibus SS. Canones resistunt:

idcirco inquirendum nunc est, quanam sint legitimi modi, quibus à propria Ecclesia & Parocho ad extraneos devolvuntur. Tituli, de quibus dubitari potest, sunt: *Trans-*  
*actio,*

B b

*actio, Compromissum, Permutatio, Venditio, Locatio, Unio Ecclesiarum, Privilegium, Investitura, Consuetudo, Prescriptio.*

429 **A**ffert. I. Vi Transactionis acquiri jus decimandi potest. v. g. si plura sunt prædia, de quorum decimis litigatur inter Ecclesiasticos, transigi potest, ut uni parti hæc, alteri alia prædia assignentur; vel ut decimæ dividantur, si unicum prædium est litigiosum. Ita habetur *c. 2. & 8. de transact. & c. 3. h. t.* Neque obstat *c. 4. 6. & 10. de transact.* ubi vetatur transactio super jure spirituali: quia ibi sermo est solum de casu, quo intervenit res temporalis, ut notat Canif. *q. 10. n. 4.*

430 **N**onnulla tamen hinc observantia. I. Ut transactio sit legitima & Simoniam non involvat, necesse est, nullum pretium interveniat, quo jus spirituale decimarum ematur, ut patet ex *cit. c. 4. 6. & 10.* II. Ut transactio sit perpetua & successores liget, accedere debet consensus Superioris cum causæ cognitione, ut patet ex *cit. c. 8.* secus ligabit quidem ipsos transigentes, non vero successores, uti sumitur ex *cit. c. 3. & 8.* & ibi notant Glossæ & Panor. *n. 2. & in c. 7. h. t. n. 4.* sæpiusque decidit Rota Rom. teste Barbosa *l. 2. Jur. Eccl. c. 26. §. 4. n. 26.* Superioris nomine hinc intelligitur non solum Episcopus, sed etiam inferior Prælati, si auctoritatem quasi Episcopalem habet: nec non Vicarius Generalis, ut tradunt Rebuff. *q. 13. n.*

*23. & 24. Fagundez in 3. prac. Eccl. l. 3. c. 2. n. 5. Barbosa l. c. ac alij contra Aufrer. III. Transactio indefinitè facta procedit de decimis non solum præsentibus, sed etiam futuris. Hinc si Monasterium transegit cum Parocho, & alia postea acquirat prædia, ex his quoque decimas colliget. arg. c. 22. de Privil. Gloss. in c. 3. h. t. Pirrhing h. t. n. 120. Ledr. Fori Benefic. p. 1. q. 477. IV. Si Ecclesia per transactionem graviter læsa est, poterit tam ipse, qui transegit, quam suecessor, agere ad rescissionem, juxta *c. 6. de reb. Eccl. alien. & docent Rebuff. l. c. n. 34. Fagund. n. 20.* Graviter læsa censetur, quando vix remanet, quod ad ministrorum sustentationem aliæque onera sustinenda sit satis. V. Transactioni illi non derogatur per privilegium exemptionis à decimis, nisi de illa fiat mentio *arg. c. h. t.* partim quia Princeps non censetur velle tollere jus speciale alteri quæsitum *c. 38. de rescript. c. 5. de auct. & iur. Pall. c. 15. de off. deleg. c. 12. de off. ord. partim quia verisimiliter privilegium non concessisset, si nota ipsi fuisset transactio, cum non facile rescindenda sint, quæ inter partes sunt transacta. *l. 16. C. de transact.* Quæ ratione transigi possit super decimis non solvendis, tam præteritis, quam futuris, dixi *à n. 307. & à n. 314.***

**A**ffert. II. Jus decimarum per compromissum uni litigantium auferri, alterique acquiri potest, tam totum



totum quàm ex parte. Sumitur ex *c. 7. de his, qua fiunt à Pralat. junct. c. 1. de arbitr. & tradit communis.* Duo tamen requiruntur. I. Consensus Superioris aliaque solemnitates ad alienationem rerum Ecclesie necessariorum: quia *quando aliquid prohibetur, prohibentur omnia, quae ex illo sequuntur. reg. 39. in 6.* At ex compromisso frequenter sequitur alienatio: est ergo prohibitum, nisi adhibeantur dictae solemnitates. II. Arbitri debent esse Clerici: laicus enim de spiritualibus, uti judicare, ita arbitrari nequit. *c. 8. de arbitr.* Possunt tamen cum consensu Superioris Ecclesiastici Clerico compromissario adjungi unus vel plures laici, juxta *c. 9. de arbitr.*

Assert. III. Jus Decimarum unius Ecclesiae permutari potest cum jure decimarum alterius Ecclesiae. Ita communis DD. patetque ex *c. 6. de rer. permut.* ubi permittitur permutatio Ecclesiarum & possessionum, & ita quidem, ut si possessiones unius minus valeant quàm alterius, defectus illarum pretio compensari possit, & ex *c. ult. eod.* ubi solum damnatur permutatio temporalis rei cum spirituali; non item spiritualis cum spirituali. Auctoritas tamen Episcopi interveniat necesse est. *c. Statuimus 2. de transact.* quia permutatio est species alienationis. *c. nulli de reb. Eccl. alien.*

## QUESTIO II.

An Emptione & Conductione acquiri Clericis Jus Decimarum possit.

### SUMMARIUM.

433. Jus decimandi emi non potest.  
434. Emi potest utilitas percipiendorum fructuum.

435. Et conduceri.

433. **A**ssert. I. Jus decimarum formaliter acceptum, seu ut fundatum est in titulo spirituali, sive officio & obligatione ministrandi spiritualia, etiam ab Ecclesiastica persona emi vel conduceri nequit. Assertio certa est, patetque ex *tot.*

*tit. de Simon.* quia sic acceptum est spirituale; at spirituale pro temporali (quod fit in emptione & conductione) comparari non potest.

Assert. II. Jus decimarum materialiter acceptum & praesens à spirituali, sive quoad utilitatem

B b 2 per-

percipiendorum fructuum, emere & conducere Ecclesiastici possunt. Ita omnes cum S. Thoma 2. 2. q. 87. a. 3. in C. & sumitur ex c. ult. de rer. permut. & Clem. 1. de reb. Eccl. alien. in fine. Ratio patet, quia decimæ hoc modo sumptæ sunt res temporales: jus enim ipsum, vi cuius illæ principaliter debentur, semper manet penes Ecclesiam; fructus verò hujus juris est materialis & profanus.

435 Assert. III. Parochus decimas Ecclesiasticæ personæ liberè & absque solemnitate locare potest ad tempus breve; ad longum non nisi cum consensu Superioris aliisque solemnitatibus ad alienationem rerum Ecclæs. requisitis. Assertionis

pars I. patet ex c. 2. de locato, altera ex c. 3. Clem. 1. & Extrav. ambrosiana de reb. Eccl. alien. quæ ultimâ definitur, tempus breve hic esse, quod non est ultra triennium, quamvis jure civili tempus longum sit tantum decennium. Quod verò dicta solemnitas requiratur etiam tunc, quando locatio fit Ecclesiasticæ personæ, hinc patet, quia alienatio rerum Ecclæs. prohibita est etiam inter Ecclesias, Monasteria, Episcopos &c. ut benè observat Suar. c. 23. n. 9. Assertio procedit solùm de decimis imediatè ad Ecclesiâ pertinentibus; non verò de ijs, quæ sunt Parochi, ut patet ex dicendis n. 493.

### QUÆSTIO III.

*An Privilegio, Unione, aut Investitura, acquiri Clericis Jus Decimarum possit.*

#### SUMMARIUM.

436. Ecclesia & Clerici acquirere Jus decimandi possunt Privilegio SS. Pontificis.

sic concedere alteri Ecclesia per unionem Beneficiorum, divisionem &c.

437. Non verò aliorum Prælatorum.

438. Potest tamen Episcopus ex iustitia causa Decimas unius Eccle-

439. Si Ecclesia unitur alteri, illi, cui fit unio, decima alterius unitæ pleno jure acquiruntur.

436 **A**sert. I. Ecclesijs & Clericis jus decimandi competere potest ex concessione SS. Pontificis. Patet ex c. 7. h. t. & c. 7. de his, quæ

sunt à Præl. ac à fortiori ex ijs, quæ infra dicemus de privilegio laicis concessio. Nam tanquam supremus jurium spiritualium dispensator,

tor, jus decimandi, etiam ut fundatum in titulo spirituali, adimere ex causa uni Ecclesie vel Ecclesiastico, potest, & donare alteri juris istius quæ talis capaci. Sic frequenter per incorporationem Parochiarum factam Monasterijs vel Canonicatibus eisdem hoc jus concessit. Quæ cum certa sint, nullo Catholicorum dubitante, non vacat immorari. Quousque se extendat, privilegium decimandi dixi n. 391. 399. 402. 406. 409. 419.

437 Assert. II. Episcopi, aliique Prælati SS. Pontifice inferiores Ecclesijs & Clericis jus decimandi concedere nequeunt, multò minùs laicis. Est assertio omnium DD. & patet ex *can. 43. & 44. l. 6. q. 1.* Ratio est: quia Parochia, & cum his decimæ ab ipso Pontifice aut hujus auctoritate ab Episcopis distributæ sunt. *can. 1. l. 3. q. 1.* at ea, quæ per SS. Pontificem stabilita sunt, immutare nequeunt Prælati inferiores, nisi in casibus Jure expressis: de casu autem decimarum nihil expressum est. Neque obstat *c. 2. de his, quæ sunt à Prælat.* ubi dicitur, quod concessio decimæ ab Abbatisa prius facta, si conventu sciente & non contradicente facta est, robur firmum debet habere. Nam ibi concessa Clerico fuit solùm commoditas decimarum temporalis ad modicum tempus, & in modica quantitate, vel solùm fuit aliqua remissio facta, ut explicant Panor. Hostiensis, ac alij apud Barbosa in

*cit. c. 2. n. 3. & Rebuff. q. 6. n. 34.* Vell intelligitur ibi per decimas Beneficium Ecclesiasticum, ut explicat & probat Gonzal, *ibid. n. 3.*

Assert. III. Episcopus ex justa causa decimas unius Ecclesie concedere alteri Ecclesie potest *c. 54. § 5. & ult. l. 6. q. 1.* quod fit, ut explicat Suar. *c. 1 §. n. 11.* per unionem aut divisionem Beneficiorum, aut applicationem partis decimarum, juxta facultatem concessam à Trident. *Sess. 7. c. 5. 6. 7. & Sess. 21. c. 3. 4. 5. & 7. Sess. 22. c. 3. Sess. 23. c. 18. Sess. 24. c. 13. & 15. Sess. 25. c. 9. de Refor.* Potest pariter decimas novarium, quæ non intra certæ Parochie fines consurgunt, Ecclesie, cui maluerit, intra Dioecesin attribuire juxta *c. 13. h. t. & dicta n. 363.* Eas verò, quæ pertinent ad mensam Episcopalem, alienare non potest. Si ab ipsa avulsa ad eandem revertantur, transferre nequit in personam, quæ nunquam moritur, ut decidit Rota Rom. apud Barbosa, *de Offic. Paroch. c. 28. §. 3. n. 53.* Potest denique in alienationem decimæ, quæ fit per transactionem aut permutationem, suum consensum & decretum interponere, juxta *dicta n. 430. & 432.*

Assert. IV. Si una Ecclesia alteri Ecclesie, v. g. Monasterio, unitur, huic decimæ illius pleno jure acquiruntur. Ita decidit Rota Rom. in una Augustava Decimarum *28. Mart. a. 1631.* quam refert Tambur. *de Jure Abbat. tom. 3.*

Bb 3 decis.

*decif. 102.* ubi dicitur, quòd ratione unionis seu incorporationis, cùm per hanc unà transferatur cura animarum, Monasterium tanquam Parochus ratione dictæ curæ debeat indistinctè percipere omnes decimas. Patètque ex *c. 30. h. 1.* Eadem porro ratio est de quovis alio Corpore seu Collegio Ecclesiastico, v. g. Academijs, Ecclesijs, &

Capitalis Cathedralibus, quibus Parochiæ pleno jure sunt incorporatæ: sic enim censentur loco Parochi, iique, quos Parochijs uratis præficiunt, solùm sunt ipsorum Vicarij. De Investitura, cùm sit eadem de ipsa ratio, quæ de privilegio, imò ipsa sit quoddam quasi privilegium, non est opus dictis aliquid superaddi.

## QUÆSTIO IV.

*An Consuetudine & Præscriptione Ecclesijs & Clericis Jus Decimarum acquiri possit.*

### SUMMARIUM.

440. Differt Consuetudo à Præscriptione.
441. Valet Consuetudo solvendi decimas in loco domicilij, & non ubi sita sunt prædia.
442. Clericus etiam privatus præscribere decimas potest contra propriam Ecclesiam.
443. Juxta aliquos tunc solùm, quando præscribit ipsam Ecclesiam seu Beneficium.
444. Potest præscribere etiam non præscripto Beneficio.
445. Responsio ad opposita.
446. Requiritur ad præscribendum contra propriam Ecclesiam 40. anni cum titulo; sine hoc tempus immemorabile.
447. Hoc tempore opus est etiam ad præscriptionem Ecclesia domicilij contra prædialem.
448. Et ad præscribendum contra Monasterium, cui Parochia pleno jure incorporata est.
449. Non habet locum præscriptio, si per eam congrua sustentatio adimeretur Parocho. Aut si vitiosa & mala fidei possessio foret.
450. Occurritur objectioni.
451. Controversia de tempore immemoriali.
452. Ad possessionem immemorabilem non sufficiunt 100. anni.
453. Solvitur ratio contraria.
454. Requisita ad probandam possessionem immemorabilem.
455. In dubio, ad quam Ecclesiam pertineant decime, una contra alteram præscribit tempore ordinario.
456. Ad præscribendum contra Ecclesiam, cui Jure communi decima

*cima non competunt, sufficiunt  
40. anni.*

457. *Ad præscribendum contra*

440 **C**onfuetudinem cum Præscrip-  
tione non pauci hîc confun-  
dunt: est tamen multiplex inter eas  
distrimen, ut præter alios ostendit  
Balb. *de Præscript. p. 1. prin. q. 10.*  
Afferunt Rebuff. *de offic. Paroch.*  
*c. 28. §. 3. n. 68.* Monet, *c. 5. n. 97.*  
Canif. *c. 9. n. 3.* aliique multi, con-  
fuetudine alicui Ecclesiæ jus deci-  
mandi acquiri posse. Quod falsum  
est, si de una alterave particulari  
Ecclesia loquantur: nam confue-  
tudo, cum sit lex, locum non habet  
nisi quoad communitatem; præ-  
scriptio verò quoad privatos: con-  
sequenter huic tantum vel illi pri-  
vatæ Ecclesiæ jus acquiri per con-  
fuetudinem non potest, sed solum  
per præscriptionem propriè dictam.  
Igitur ut communis illa assertio  
sustineatur, intelligenda solum est  
de casu, quando in aliquo Regno  
vel Dioecesi confuetudo esset deci-  
mas v. g. prædiales solvendi Pa-  
rochijs, ubi domini prædiorum ha-  
bitant, & non illis, ubi prædia ha-  
bent.

441 **A**ffert. I. Si alicubi univèrsali  
confuetudine receptum est, ut præ-  
diales decimæ solvantur non Eccle-  
sijs, ubi sita sùnt prædia, sed illis, ubi  
eorum domini Sacramenta perci-  
piunt (quas propterea Sacramenta-  
les dicunt) valet hæc confuetudo,  
vique illius posteriores Ecclesiæ jus

*Clericum privatum 10. annis  
cum titulo, sine hoc 30.*

decimandi obtinent contra prio-  
res. Ita statuitur *c. 18. & 20. h. t.*  
& dictum est supra *n. 365.* Solum  
dubitatur, quantum temporis re-  
quiratur, ut talis confuetudo cen-  
seatur legitimè præscripta. Suffice-  
re decennium existimant Panor. *in  
cit. c. 18. n. 6.* aliique: quia, ut di-  
cunt, illa non est contra Jus com-  
mune (hoc enim de decimis præ-  
dialibus Ecclesiæ potiùs prædiali  
quàm sacramentali solvendis nihil  
statuit, ut patet ex *cit. c. 18. & 20.*)  
sed solum præter Jus: confuetudo  
autem, quæ non repugnat Juri  
communi, solum requirit longum  
tempus, seu decennium. *Gloss. in c.  
fin. de præscr. in 6.* aliique commu-  
niter. Verùm dicendum est cum  
Covarr. *l. 1. var. c. 17. n. 8. V. Deci-  
mò his omnibus.* Suar. *c. 22. n. 7.* ac  
alijs, requiri ad hanc confuetudi-  
nem 40. annos, cum sit contra Jus  
commune & tertij, partim quia  
*c. 29. & 30. h. t.* apertè dicitur, de  
Jure communi decimas prædiales  
ad Ecclesias Parochiales (quo nomi-  
ne ibi, ut patet, Prædiales Ecclesiæ  
designantur) pertinere: partim quia  
juxta *c. 1. 13. 9. 1. c. 42. 43. 44. 10. 9. 1.*  
& *c. ult. de restit. spol. in 6.* decimæ  
non possunt ab Ecclesijs, quibus se-  
mel legitimè competebant, in alias  
transferri. Ergo à Prædialibus con-  
tra jus transferuntur in Sacramen-  
tales.

tales. Atqui consuetudo, quæ Juri communi simulque juri tertij repugnat, non minus tempus exigit, quam 40. ann, ut dixi *n. 283*. Illud tamen concedendum est, ad talem consuetudinem non requiri titulum: hoc enim solum opus est ad præscriptionem, non item ad consuetudinem, ut cum communi tenet ac fusè probat Covarr. *l. c.*

442 Assert. II. Ecclesia, & Clericus etiam privatus, jus decimandi præscribere potest contra propriam Ecclesiam, seu illam, cui Jure communi debentur decimæ. Patet assertio ex *c. 18. 20. 29. 31. h. t. ac præcipuè ex c. 4. & 6. de Præscript. c. 1. eod. in 6.* Patet quoque ratio: quia jura & dominia humana, quamvis sacra, præscribi possunt ab ijs, qui sunt capaces possidendi, ut constat ex *c. 4. 11. 15. & 16. de Præscript.* nisi in aliquo casu speciali id à Jure prohibeatur. Atqui Ecclesiæ & Clerici etiam privati sunt capaces juris decimandi, & possessio ejusdem in aliena Ecclesia ac præscriptio non est ullo Jure prohibita, ut manifestum est cum ex cit. Juribus, tum ex eo, quòd SS. Canones hanc præscriptionem in solis laicis damnant.

443 Verùm dubium superest, an hoc jus solum præscribi possit concomitanter, id est, præscriptà Ecclesià, cui decimæ communi Jure debentur; an verò per se ac seorsim, seu non præscriptà illà Ecclesià. Illud affirmant Hostiensis in *Summa h. t.*

Abulen. in *c. 23. Matth. q. 188.* S. Anton. *2. p. c. 4. tit. 3. §. 3.* ajuntque, non præscribi decimas, nisi præscribatur Ecclesia, aut nisi præscribens jam antè habeat Ecclesiam vel Beneficium, vi cujus decimas percipiat. Favet huic opinioni Suar. *c. 30. n. 8.* Addunt aliqui S. Thomam *2. 2. q. 87. a. 3. ad 3.* sed ibi agit de jure decimandi ordinario, non de præscriptione. Rationem dant I. Quia Canones, qui concedunt præscriptionem, solum loquuntur de casu, quo præscribens habet Ecclesiam: ergo non præscribuntur decimæ, nisi aut præscribam Ecclesiam, aut possessionem juris decimandi, quod ratione meæ Ecclesiæ jam habeo, in alienam Ecclesiam duntaxat extendam. II. Qui nullum habet Beneficium nec verum jus aliquarum decimarum, non potest possidere bonà fide decimas, quia non habet titulum coloratum, aut bonam fidem: cum sciat decimas non competere nisi ob ministerium spirituale; quod tamen ipse non obit.

Assert. III. Possunt præscribi<sup>44</sup> decimæ in aliena Parochia, tamen si non præscribatur ipsa Parochia, & licet præscribens nullum Beneficium habeat, ratione cujus decimas percipit. Ita sentiunt Pannorm. in *c. 6. de Præscript. n. 1. & in c. pen. h. t. n. 5.* Rebuff. *q. 13. n. 63.* Guttier. *l. 2. can. c. 21. n. 60.* Monet. *c. 5. n. 107.* Barbof. *de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 48.* & hoc teste Rota Rom. Laym.

Laym. l. 4. tr. 6. c. 6. n. 7. Leüren *Fori Benef. p. 1. q. 479. n. 2.* Quodd decimæ alicujus Ecclesiæ præscribi possint, etiam si non præscribatur Ecclesiæ, & cum ipsa suscipiantur onera, vi quorum decimæ debentur, evidens est ex *cit. c. ad aures 6. de Præscript.* Quod verò non requiratur, ut præscribens habeat curam animarum, vel Beneficium, ratione cujus ipsi debeantur decimæ antecedenter ad præscriptionem alienarum, patet I. Quia ad præscribendum decimas alienæ Parochiæ, prorsus impertinens est, jam prius habere Beneficium & ex hoc decimas: nec enim vel ista vel illud dant capacitatem aut titulum ad alienas. Unde ut Beneficiatus alienas decimas præscribat, alium titulum alleget necesse est, videlicet consuetudinem loci, donationem, transactionem, compromissum, vel privilegium, vi cujus bonâ fide existimet decimas ad auctorem, à quo illas habet, pervenisse. Atqui ejusmodi titulum coloratum vel existimatum habere potest etiam Monasterium vel Clericus Beneficium & curam animarum non habens. Patet II. Quia quod potest haberi per privilegium, haberi potest etiam per præscriptionem, ut instar regulæ tradunt DD. ex *c. 1. 2. de Except. Præb. & c. 20. de V. S.* modò ad sit capacitas possidendi. Atqui, ut nemo negat, per privilegium obtinere decimas possunt Religiosi & Clerici, licet non habeant curam ani-

marum. Patet III. à pari. Potest Clericus, qui non est de capitulo, jus eligendi præscribere, juxta *c. 4. de Post. Præb. & c. 2. de in integr. rest.* tametsi jus ipsi resistat, & in nulla alia Ecclesia jus eligendi habeat: ergo pariter præscribere potest decimas, qui in nulla alia Ecclesia jus decimandi habet. Neque enim est major ratio pro præscribendo jure eligendi, quàm pro decimandi.

Hinc patet responsio ad opposi-<sup>445</sup>ta *n. 443.* diximus enim, etiam Monasterium vel Clericum curam animarum, vel decimas ex proprio Beneficio non habentem, posse habere titulum consuetudinis, donationis, privilegij &c. Jura, quæ præscriptionem decimarum concedunt, faciunt quidem pleraque mentionem Ecclesiæ à præscribente possessæ: at non dicunt, hanc conditionem esse necessariam. Imò hoc ipso non requirunt, sed absolute cuicumque Clerico & Monasterio facultatem præscribendi concedunt, dum solis eam laicis negant, juxta dicta *n. 442.* Reliqua, quæ hinc opponi possent, dissolvimus *n. 274. & 295.*

Assert. IV. Ut contra propriam<sup>446</sup> Ecclesiam, seu illam, cui jure communi debentur decimæ, istæ præscribantur, opus est 40. annis cum titulo, sine titulo tempore immemoriali. Ita omnes, sicque dicitur *c. 1. de Præscript. in 6. juncto c. 1. 5. cod. & c. 2. de restit. spol.* Ra-  
Cc tionem

tionem dedi n. 297. Neque obstat, quòd c. 6. de Præscrip. ad præscribendas decimas absolutè requiritur solùm possessio 40. ann. ubi ratio additur: *quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Nam x. supposito ibi Pontificem, quòd titulus adsit; quæ explicatio sumitur ex cit. c. 1. in 6. nisi dicere malis, decisionem anteriorem cit. c. 6. fuisse correctam per posteriorem c. 1. in 6. Reliqua, quæ hìc obijci possent, solvi n. 298.

447 Assert. V. Tempus 40. ann. cum titulo, & sine hoc tempus immemoriale, requiritur etiam ad præscriptionem Ecclesiæ Sacramentalis contra Prædialem. Ita sentio cum Gloss. in c. 18. h. t. & Suar. c. 22. n. 7. contra Panor. Guttier. Laym. Pirrhing. Card. de Luca, Leuren, aliòsque, qui in hoc casu requirunt cum titulo solùm longum, seu 10. ann. & sine illo longissimum, seu 30. ann. Ratio est: quia idè Ecclesia, Monasterium, vel Clericus contra Ecclesiam præscribere nequeunt nisi tempore 40. ann. vel immemoriali, quia jus ipsis resistit: atqui resistit etiam Ecclesiæ Sacramentali, ut dixi n. 441.

448 Assert. VI. Dictum tempus 40. ann. vel immemoriale requiritur ad præscribendas decimas etiam contra Monasterium, Academiam &c. cui Parochia, quæ decimas percipit, pleno jure est incorporata. Ita quoad Monasteria decidit

Rota Rom. decisione, quam attuli n. 439. ubi alias suas decisiones refert, & n. 11. tantum tempus requirit ad præscribendum contra Monasterium, quantum adversus Parochum. Unde sequitur, & patet ex ead. decis. n. 5. quòd Monasterium fundatum in Jure intensionem habeat contra ipsum suum Vicarium & Episcopum. Rationem dedi cit. n. 439. Estque eadem ratio de Academicis, aliisque Communitatibus Ecclesiasticis, quibus auctoritate Apostolica incorporata sunt Parochia.

Limitandæ sunt assertiones hactenus factæ. I. Non procedunt, quando præscriptis decimis Parochus aliique Ecclesiæ Ministri non haberent congruam sustentationem: cum enim ea, quæ ad hanc sunt necessaria, Jure tam naturali quàm Divino ipsis debeantur, ut dixi n. 29. nec privilegio auferri ipsis possunt, ut patet ex dictis n. 159. 258. & 291. II. Quando ex instrumento aliquo, vel aliunde constaret, possessionem etiam immemoriam fuisse vitiosam seu titulo injusto coeptam, vim non haberet præscriptio, ut bene observant Suar. c. 27. n. 3. Fachin. l. 8. contr. c. 33. Laym. l. 4. tr. 6. c. 6. n. 9. ad 2. Arn. Rath. tract. de usucap. c. 3. assert. 34. ac passim alij apud Mascard. de Probat. vol. 3. concl. 1220. n. 46. contra Fern. Valq. contr. p. 1. l. 3. c. 81. n. 12. & 15. Tametsi enim longissimo tempore purge-



purgetur mala fides *l. ult. C. unde vi.* & tempus immemoriale loco tituli habeatur *l. 3. §. 4. ff. de aq. cottid. & ast.* ac minuendarum litium causâ vetustas pro lege habeatur *l. 2. pr. ff. de aq. plu. arc.* hæc tamen duntaxat vera sunt, quando de contrario non constat: cum leges ex diuturnitate temporis solum præsumant bonam fidem. At præsumptioni cedit veritas. *can. 4. & 5. dist. 8.* estque illimitatè vera regula, quòd possessor malæ fidei nullo unquam tempore præscribit. *reg. 2. Juris in 6. & c. 20. de Præscript.* Quando verò Bald. Jason, Salic. Card. Dec. aliique asserunt, in possessione temp. immem. non requiri bonam fidem, solum intelligendi sunt, ut LL. cit. videlicet illam probandam non esse, sed præsumi: non verò negant, elidi hanc præsumptionem probatione contraria.

450 Dices: Et si injusto titulo res fuerit occupata, potuit tamen postea justus titulus & bona fides supervenire: & hoc ex temporis, cujus memoria non extat, diuturnitate præsumendum est. R. neminem præsumi ex alio titulo possidere, quem non ostendit, si de injusto titulo, quo coepit possidere, constat. *l. 2. C. de acquir. p. ff. & l. 77. ff. de rei vind.* Brunnem. *ibi. n. 3.* Arn. Rath. *l. c.* cum Menoch. Mascard. Crav. Ruino, ac alijs.

451 Cum ad præscribendas decimas contra Parochum aut Monaste-

rium, cui incorporata est Parochia, requiratur sine titulo tempus immemoriale, juxta dicta 446. & seqq. dubium nascitur, quòdnam tempus sit immemoriale, seu *cujus non extat memoria*, ut dicitur *c. 26. de V. S. vel, ut c. 1. de Præscript. in 6. cujus contrarij memoria non existit.* Videtur quidem absolutè dicendum, tempus immemoriale non esse, quando ex instrumento constat de initio possessionis, tametsi coeperit ante 200. aut 300. annos: sic enim dici non potest, quòd ejus memoria non extat; hæc enim habetur non minùs per testes mortuos, seu libros & instrumenta, quàm per vivos. At Cyn. Cæpoll. Balb. aliique, quos refert Georg. Everh. *vol. 1. conf. 8. n. 6.* tenent tempus 100. annorum, esse immemoriale. Unde consequens esse videtur, possessionem immemoriam sufficienter probari, si probetur intra 100. annos non coepisse, tametsi constet, coepisse ante illos. Quin Cravet. *de antiq. temp. p. 4. prin. p. 2. n. 2.* Menoch. *de arbitrar. l. 3. cas. 3. n. 7.* Farinac. *in prax. crim. l. 1. tit. 5. q. 47. n. 119.* & Engel *h. l. §. 2. n. 14.* asserunt, ne 100. quidem annorum tempus requiri. Ex quo inferendum videtur, tempus esse immemoriale, tametsi constet, possessionem coepisse intra proximos 100. annos: modò non constet, quando coeperit. Ajunt tamen Cravetta & Farin. hoc solum procedere, si agitur de modico e-

ius, contra quem præscribitur, præjudicio; secus, si de gravi.

452 Affert. VII. Ad præscriptionem vi possessionis immemorialis non sufficit possessio 100. ann. Ratio est: quia centenaria possessio non est immemorialis. Ita post Cardin. Felin. aliósque Covarr. in reg. Possess. p. 3. §. 3. n. 6. Carpz. p. 1. consilii. 16. de fin. 74. Schneidevvin. Finalit. de usucap. rubr. Quot sint species Præscript. n. 35. Molin. Jur. l. 2. de Primog. c. 6. à n. 43. Molin. Th. tr. 2. de Just. disp. 76. Solorzan tom. 1. de Jure Ind. l. 3. c. 3. n. 71. Gonzal. in c. 14. de Præscript. n. 8. Gibal. de un. negot. hum. l. 5. c. 5. art. 6. n. 9. aliique communissimè, idque non tam probant, quàm supponunt. Sensus est, quòd etiamsi centenariam possessionem probes, non tamen propterea probaveris immemoriam, si de initio centenariæ constet. Ratio est I. Quia Jura majus privilegium tribuunt immemoriali, quàm centenariæ: ad hanc enim requiritur titulus, si præsumptio est contra præscribentem, ut fatentur omnes; ad illam verò nunquam requiritur, ut constat ex c. 1. de Præscript. in 6. Supponunt ergo Jura, illam hæc esse diuturniorem, aut certè plus ad eam requiri, ita ut licet centenariæ non obsit, si constet coeptam esse ante 100. annos completos, obsit tamen immemoriali. II. Præscriptio immemorialis procedit etiam in reservatis Principi, habetur pro veritate, nec ipsi deroga-

tur, quando Princeps derogat cuicumque Præscriptioni aut Consuetudini, ut latè Mascard. de Prob. vol. 3. concl. 1221. à n. 50. quæ tamen non procedunt de Præscript. centenaria: plus igitur ad illam requiritur, quàm ad istam. III. Si præscriptio immemorialis esset, quam quidem constat inchoatam intra 100. annos proximè lapsos, at non constat, quo anno intra illud seculum, sequitur (ut consideranti patet) meliorem fore cujuscunque privati Clerici conditionem, quàm Ecclesiæ Romanæ ac aliarum, contra quas ex speciali privilegio non nisi 100. aut 60. annis præscribitur, aut certè nihil speciale ipsis esse concessum. At hoc est contra mentem SS. Pontificum & Imperatorum, qui aliàs illa privilegia inutiliter concessissent. Quin affirmamus cum Canisio c. 9. de decim. à n. 16. & c. 13. n. 9. immemorialem possessionem non esse, si constet, quòd aliquando coeperit, tametsi coeperit ante annos 150. aut ultra. Ratio est: quia l. si arbiter 28. ff. de cum. ff. de Probat. dicitur, tunc memoriam operis facti (& coeptæ possessionis) non extare, cum omnium hæc est opinio, nec vidisse, nec audisse, cum id opus fieret: neque ex eis audisse, qui vidissent aut audissent: & hoc infraire sursum versum. Ex quibus verbis manifestum est, ad hoc, ut tempus sit immemoriale, infinito sursum versum non debere extare memoriam rei

rei vel possessionis à præscribente  
 coeptæ. Igitur si constat, quòd  
 aliquando coeperit possessio, jam  
 non erit immemorialis. Idem a-  
 pertè traditur *l. in summa 2. §. 8.*  
*ff. de aqua & aqua pluvia arc. ubi*  
*habetur, ad hoc, ut extet memoria*  
*rei (seu possessionis coeptæ) suffice-*  
*re, si factum esse non ambigitur.*  
 Atqui si constat, quòd Parochi ali-  
 quando, v. g. ante 180. annos, fue-  
 rint in possessione juris decimandi,  
 quam jam habet v. g. Monasterium,  
 aut Episcopus, jam non ambigitur,  
 coeptam à Monasterio esse posses-  
 sionem; igitur ejus memoria extat,  
 & sic talis possessio non est imme-  
 morialis. Accedit, quòd *c. 1. de*  
*Præscript. in 6.* illa possessio & præ-  
 scriptio dicitur immemorialis, cu-  
 jus contrarij memoria non exi-  
 stat. Ergo si existit memoria con-  
 trarij, non erit possessio vel præ-  
 scriptio immemorialis. Sed si con-  
 stat, quòd decimæ, in quarum pos-  
 sessione nunc est Monasterium aut  
 laicus, ante annos v. g. 200. fuerint  
 penes Ecclesiam Parochialem, con-  
 stat de contrario hujus possessio-  
 nis, hoc est, existit memoria contra-  
 rij, ergo talis possessio non est im-  
 memorialis. Unde non bene dicitur,  
 illud tempus vel possessionem  
 immemorialem esse, cujus initij  
 memoria non extat (nisi hoc intel-  
 ligas in sensu mox afferendo) sed  
 juxta *c. 1. §. 1.* illa dicenda est imme-  
 morialis, cujus contrarij memoria  
 non extat: quia fieri potest, ut pos-

sessionis alicujus memoria non  
 quidem extet (quia nescitur, quo  
 anno determinato coeperit) extet  
 tamen memoria de ejus contrario,  
 quæ extante juxta *c. 1. §. 1.* non da-  
 tur immemorialitas. Et ita jam pri-  
 dem censuit Facultas nostra Juridi-  
 ca Ingolstadiensis in causa decima-  
 rum à quodam Monasterio per 150.  
 & amplius annos possessarum, teste  
*Canil. de Decim. c. 9. n. 19.* certum-  
 que esse ait *Wesfenbec. consil. 14.*  
*n. 26.* dato initio immemorialem  
 possessionem excludi.

Hinc non valet, si dicas: etiam si 453  
 constet, quòd possessio, quæ nunc  
 est penes Monasterium, ante 80. aut  
 90. annos fuerit adhuc penes Paro-  
 chum, fieri tamen potest, ut non  
 constet, quo anno determinato il-  
 lam amiserit Parochus, & acquisie-  
 rit Monasterium. In tali autem casu  
 jam non extat memoria coeptæ à  
 Monasterio possessionis; erit igitur  
 immemorialis, cum immemorialis  
 possessio sit, cujus non extat me-  
 moria. Hæc, inquam, non valent,  
 I. Quia *c. 1. §. 8. Labeo ait, cum*  
*quaritur, an memoria extet super*  
*facto opere (aut super habita pos-*  
*sessione) non diem non Consulem ad*  
*liquidum exquirendum, sed suffi-*  
*cere, si quis sciat factum, hoc est, si*  
*factum esse non ambigitur.* Igitur  
 ad hoc, ut extet memoria, & conse-  
 quenter ut excludatur tempus im-  
 memoriale, non requiritur notitia  
 diei seu certi temporis, quo unus a-  
 miserit, alter acquisierit posses-  
 sionem,

nem, sed sufficit, si factum esse non ambigitur, quod ille habuerit aliquando possessionem, alter non habuerit. II. Quia etsi non constet determinatè, quo anno cœpta sit possessio à Monasterio, constat tamen, quod ante annos v. g. 100. non fuerit penes Monasterium, sed penes Parochiam, ergo Monasterij possessio non est immemorialis; talis enim non est juxta *cit. c. 1. de præscript. in 6.* si de ejus contrario existit memoria; atqui hæc memoria in dato casu existit. III. Ex facta replica sequeretur, possessionem & præscriptionem fore immemorialem, si constat quidem, quod Parochus adhuc anno 90. prioris seculi fuerit in possessione, in qua nunc est Monasterium, nescitur verò, quo determinatè anno illam Monasterium acquisierit: quia in tali casu, ut volunt adversarij, non extat memoria cœptæ possessionis, quod juxta ipsos sufficit ad hoc, ut sit immemorialis. Sequelam autem nec ipsimet, ut existimo, admittent. Quando igitur DD. apud Balbum *p. 2. tertia prin. q. 6. n. 24.* Mynsing. *cent. 1. obser. 30.* & Covarr. *in Reg. Possessor relect. 2. §. 3. n. 7.* asserit, immemorialem possessionem tunc demum probari, quando probatur, initij non extare memoriam, id juxta alleg. Jura non ita intelligendum est, quali sufficiat, si non constat de certo tempore inchoatæ à novo possessore possessionis; sed sensus est, quod non debeat constare de

anteriore alterius possessione: si enim constat, quod alius possederit v. g. ante annos 150. jam constat, quod secundus cœperit possidere, & sic nequit dicere, quod initij possessionis suæ memoria non extet, quia extat memoria, quod alius possessionem habuerit, & sic ipse secundus possessor possessionem inchoavit, tametsi non constet, quo determinatè anno id contigerit. Hæc enim certi temporis designatio ad probandam rei vel possessionis memoriam non requiritur, sed sufficit, si constat aliquid esse factum, seu cœptam esse possessionem, uti habetur *cit. l. 2. §. 8. ff. de aqua & ag. plu. arc.* Illud libenter concedo, & à pierisque traditi non ignoro, tempus immemoriale satis probari, quando testes deponunt, quod nunquam viderint aut audiverint aliter contigisse &c. tametsi deponere nequeant, quod intra 100. pluresve annos contrarium non contigerit; modo de contrario nec ipsis nec aliunde constet: quia sic verum jam est, quod de contrario non extet memoria. Et hoc duntaxat voluerunt Cravetta alique, quos *n. 451.* retuli. Quamquam, dum dicunt, tantum 100. annos aut pauciores requiri, valdè improprie loquuntur. Id enim absolutè verum non est, quia si constaret, tot duntaxat esse, illi non sufficerent. Sed solum procedit negativè, dum videlicet necesse non est positivè probari, quod  
sunt

sunt plures quam centum, sed sufficit, si de contrario non constat: de hoc verò si constaret, præscriptio immemorialis non foret, ut constat ex *cit. c. 1. de Præscript. in 6. l. 28. ff. de Probat. l. 2. §. 8. ff. de aqua & ag. plu. arc.* Hinc nemo est, qui dicat, quòd præscriptio immemorialis detur, quando constat, quòd possessio infra 100. cœpta fuerit.

Alterum dubium de præscriptione immemoriali est, quomodo probanda sit.

454 Assert. VIII. Ut præscriptio immemorialis legitimè probetur, testes deponere debent I. Quòd sit communis opinio, de contrario usu non extare memoriam. II. Quòd ita semper viderint, & audiverint à suis majoribus. III. Quòd nunquam fuerit observatum contrarium. Ita post Gloss. *in c. 1. de Præscr. Panor. Alexandr. Specul. Aretin. Oldrad. Balb. Corn. ac aliorum communem Covarr. l. c. n. 7. Molina l. c. Mynsing. cent. 1. observ. 30. Barbof. in cit. c. 1.* Addunt plerique, debere testes saltem esse 54. ann. & testificari de 40. annis. Verùm, ut advertit Molina *l. c. n. 4.* sufficit, ipsos esse 48. aut 50. annorum: etsi enim testis debeat esse pubes tempore, quo deponit, non tamen necesse est, ut fuerit pubes eo tempore, de quo deponit; nisi in aliquo casu speciali Jura pubertatem exigant, ut pro testamentis. Quòd si testes, aliqui deponant, se nunquam vidisse contrarium; alij verò

asserant, se vidisse, & sic memoriam cœptæ possessionis extare, magis his creditur, quàm illis: quia magis creditur duobus testibus affirmantibus, quàm mille negantibus, juxta communem DD. apud Gabriel. *l. 1. tit. de Testib. concl. 4.* nisi, qui negant, probent, se scire, non esse verum, quod adversarij affirmant.

Si porro quæras, an ad probandam memoriam sufficiat scriptura, affirmo cum Joan. Andr. *in c. 1. de Præscript. in 6. Franc. ibid. n. 15. Balb. l. c. n. 25. Covarr. l. c. n. 8. Cravett. de antiquit. Tempor. p. 4. §. Materia n. 40. Alexand. l. 4. consil. 75. Panorm. in c. cum nobis de Præscript. Wesenbec. consil. 12. n. 36. Canif. l. c. Emman. Gonzal. in c. 14. de Præscript. n. 8.* ac alijs. Ratio est: quia juxta *cit. l. 2. §. 8.* memoria rei legitimè probatur per testes de auditu alieno. Ergo etiam probatur per instrumentum, utpote quod à Jure æquiparatur testibus etiam de proprio auditu deponentibus *l. 15. C. de Fid. instr. cum memoria rei non tantum in mentibus hominum resideat, sed etiam in scripto, quod memoriæ conservandæ causâ confici solet. l. 10. l. 13. & fin. C. de Proxim. sacri scrutin.* Et juxta *cit. l. 2. §. 8.* ad probandam rei memoriam sufficit, *si quis sciat factum, hoc est, si factum esse non ambigitur.* Atqui si ex scriptura authentica constat, aliquid factum esse, jam non ambigitur esse factum, sed scitur esse factum.

Assert.

455 Affert. IX. Quando dubium est, ad cuius Parochiæ limites prædium pertineat, potest una earum, inter quas dubitatur, contra alteram decimas ex illo præscribere tempore ordinario, seu 10. annis. Ita post Innoc. Host. Panor. ac alios Covarr. *l. c. n. 8. §. quinto.* Suar. *c. 22. n. 8.* Laym. *l. c. n. 7. §. Porro Pirrhing. h. t. n. 117.* Leuren. *l. c. g. 479. n. 5.* Ratio patet: quia in tali casu Jus commune non resistit præscribenti, cum sit dubium pro utraque Ecclesia, & uni non magis faveat, quam alteri.

456 Affert. X. Ad præscribendas decimas contra Ecclesiam, cui tantum ex privilegio vel præscriptione competunt, sufficiunt 40. anni, vel 60. si qua sexagenariæ præscriptionis privilegio munita sit, uti munita sunt Monasteria Ordinis S. Benedicti & Mendicantium. Ita post Gloss. in *c. 1. de Præscript. in 6.* Butr. Anchar. Balb. ac alios, Barbof. *l. c. n. 56.* ubi varias Rotæ decisiones affert, Engel *h. t. §. 2. n. 2.* Leuren *l. c. n. 6.* & patet ex *cit. c. 1.* Patet quoque ratio: quia in tali casu Jus commune, uti uni Ecclesiæ non assistit, ita alteri præscribenti non resistit. Excipitur casus *n. 448.* allatus: etsi enim sit quoddam privilegium, quando v.g.

Monasterio incorporantur una vel plures Parochiæ, verè tamen per unionem Monasterium fit Parochus proprius & ordinarius: unde sicut contra priorem Parochum non processisset præscriptio, nisi 40. ann. cum titulo, & sine hoc tempore immemorali. ita nec contra Monasterium post unionem procedit.

Affert. XI. Ad præscribendas decimas contra privatum Clericum, cui decimæ Jure communi seu ratione Beneficij non debentur, opus duntaxat est tempore ordinum titulo, videlicet 10. inter presentes, 20. inter absentes, sine titulo annis 30. Ita cum communi Engel & Leuren *l. c.* Ratio patet ex dictis: quia in tali casu Jus commune Clerico non assistit, possidetque is decimas velut bonum patrimoniale. At quoad patrimonialia Clerici contra Clericos non habent privilegium. Assertio ejusque ratio à fortiori procedit de præscriptione contra laicum. An verò & quo tempore laicus contra laicum decimas præscribere possit, dicemus *cap. seq. à n. 485.* Utrum præscriptio decimarum se extendat ad novalia, diximus *n. 386. & seqq. 402. 406. & 419.*

### CAPUT III.

#### De Decimatoribus Laicis.

QUÆ-

## QUÆSTIO I.

## An Laici sint capaces Decimarum.

## SUMMARIUM.

458. Jus decimandi Primarium & Secundarium. 460. Sunt Secundarij.

459. Primarij capaces non sunt laici. 461. Corollaria inde deducta.

458 Cùm magna, & non paucis in locis dimidia pars, decimarum colligatur à laicis, quo jure id fiat, postquam de Ecclesiasticis Decimatoribus dixi, examinandum est. Vulgaris hinc affertur distinctio inter jus decimandi Primarium & Secundarium. Primarium dicunt, quod est fundatum in officio sacro & Ministris Ecclesiæ ratione sacrorum, quæ Fidelibus exhibent, ministeriorum competit, & solum propriè dicitur Jus decimandi: cùm decimæ Ecclesiasticæ, de quibus hinc agitur, & origine sua & primæva institutione, ac natura dentur duntaxat propter officium spirituale. Secundarium est, quod secluso spirituali officio alicui competit ad percipiendum id, quod in decimis est temporale, nimirum ad fructus, qui nomine Decimarum solvantur & ex se sunt aliquid merè temporale, percipiendos. Avelli & separari hoc Jus ab illo primario Ecclesiæ duntaxat auctoritate posse, clarum est: cùm enim decimæ ex sua natura debeantur propter ministeria sacra, & ex hoc tantum ti-

tulo à Fidelibus solvantur, patet: eas solum deberi Ecclesiæ, quia hæc sola officio sacro fungitur. Si igitur alijs, qui hoc officio non funguntur, competit, id non contingit nisi auctoritate Ecclesiæ, quod suum est, alijs ultrò & liberaliter vel etiam titulo oneroso concedentis: sicut cùm Princeps supremus Regalia, & quæ aliàs Principis sunt propria, Vasallis, aut alijs, quibus jure proprio non competunt, impertitur.

Affert. I. Laici non sunt capaces juris decimarum primarij, seu fundati in officio sacro. Ita omnes Th. & Canon. cum S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 3. Patet ex c. 15. 17. 19. 25. h. t. c. 7. de Prescrip. Can. 1. 3. 7. 16. q. 7. & Can. 13. 1. q. 3. Ratio obvia est: quia cùm hoc jus sit connexum cum officio sacro, officij verò sacri capaces non sint laici, pariter hujus juris incapaces sunt.

Affert. II. Laici sunt capaces juris decimarum secundarij, seu prout hoc avulsum est à titulo spirituali & solum respicit utilitatem temporalem, quæ est in perceptio-

D d ne fru-

ne fructuum. Constat ex praxi Ecclesie, decimas in laicos locatione, donatione &c. transferentis, ut *se 99. 99.* declarabitur.

461 Ex dictis consequitur I. nec ipsas decimas, prout sunt fructus Ecclesiastici, & stipendium ministerij spiritualis, per se deberi posse laicis. II. Jus decimarum primarium & fundamentale semper manere penes Ecclesiam: quia radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur temporalia, ut loquitur S. Thomas *l. c.* unde cum jus decimandi juxta *c. ult. de rer. permut.* sit spirituale, utpote fundatum in officio sacro, semperque maneat, eò quòd fideles, etiam dum laicis solvunt decimas, id faciant propter ministeria sacra ab Ecclesia ipsis impensa, necesse est, ut perseveret apud Eccle-

siam, cum in laicos, ut qui officio sacro non funguntur, non transeat. III. Laicos non tam suo quàm Clericorum nomine decimas ab Ecclesia concessas colligere, ut observant Suar. *c. 25. à n. 6.* & Petr. Barbosa *in l. Titia ff. sol. matrim. n. 41.* IV. Sequitur, ut bene observat Engel *tit. de decim. §. 3. n. 19.* quòd Ecclesia decimas à laico possessas vindicare contra fiscum possit, si ille sine legitimo hærede defunctus bona vacantia reliquerit, aut crimen confiscatione dignum commiserit: quia jus accipiendi, ut loquitur S. Thomas *cit. a. 3. ad 3.* directum videlicet & primarium, semper manet penes Ecclesiam, & in feudis ac bonis emphyteuticis domino directo præjudicari non potest.

## Q U Æ S T I O II.

*An Privilegio Jus Decimandi acquiri Laicis possit.*

### S U M M A R I U M.

462. *Privilegij & Feudi discrimen.*

463. *Laicis acquiri jus decimandi potest privilegio Pontificio.*

464. *Episcopus ijsdem fructus decimales ex justa causa ad aliquod tempus concedere potest.*

462 **P**rivilegium & Feudum, quæ hæc à non paucis confunduntur, discernenda sunt. Privilegium enim, etsi non rarò sub modo, & cum aliquo onere concedatur, suà

tamen naturâ onus non exigit, & sæpè est liberalis tantum concessio & pura donatio. Feudum verò etsi & ipsum sit quoddam beneficium, quia est benevola rei immobilis concessio



concessio cum translatione utilis dominij: fit tamen sub fidelitatis & obsequiorum honestorum obligatione.

463 Assert. I. Potest laicis jus decimandi acquiri privilegio SS. Pontificis. Constat à posteriori ex praxi Ecclesiæ, quæ Regibus varijs ac Principibus hoc jus concessit, uti referunt Covarr. *qq. pract. c. 35. n. 2. Suar. c. 75. n. 11. & 12. Rebuff. q. 10. de Decim. Gonzal. ad c. 19. h. t. n. 4.* ac alij, & patet ex *Can. Adrianus dist. 63. c. 7. de his, quæ fiunt à Pralat. c. 3. h. t. & c. 2. cod. in 6. §. 1. & 2.* Ratio est: quia cùm SS. Pontifex de Beneficijs & omnibus bonis Ecclesiasticis liberam habeat disponendi potestatem juxta *c. 2. de Præb. in 6.* potest perceptionem decimarum, quæ ex primæva dispositione annexa est titulo spiritali, ab hoc separare, & quod temporale est, laicis concedere, vel in perpetuum, sive in remunerationem beneficiorum & obsequiorum, quæ præstiterunt Ecclesiæ, sive cum onere fundandi novas Ecclesias &c. vel ad tempus, v. g. pro bello sacro contra Infideles, aut Hæreticos. Estque hæc potestas, ut observat *Suar. cit. n. 12.* moraliter necessaria ad bonum Ecclesiæ universale, quemadmodum & gratitudo ac remuneratio. Cæterum hoc privilegium non extendi ad decimas Novalium, dixi supra n.

390: Absolutâ verò & plena donatione decimas translatas non fuisse in laicos, sed tantum in feudum datas, dicitur infra n. 505.

Assert. II. Etsi Episcopus non 464 possit laico concedere jus percipiendi decimas, uti tradunt omnes DD. & constat ex *can. Pervenit. 1. q. 4. can. Bene dist. 96. c. Venerabilis de Confirm. ut.* Potest ipsi tamen ex justa causa, v. g. quia Ecclesiæ bona ab Hæreticis vindicavit, concedere ad vitam aliudve tempus brevius, non quidem jus percipiendi decimas, sed decimarum fructus, ut eas nomine Ecclesiæ percipiat. Ita cum Gloss. in *c. quamvis h. t. Rebuff. cit. q. 10. n. 34. & q. 13. n. 110.* Covarr. Azor (qui tamen non ad vitam, sed solum ad tempus breve id permittit) ac communiter DD. apud Monet. *c. 5. q. 3. n. 61. & Barbof. de Offic. Paroch. c. 28. n. 58.* Ratio dari potest, quia cùm in tali casu totum jus decimandi maneat penes Ecclesiam, illi fructus, qui laico obveniunt, erunt tantum annuæ quædam præstationes, quales ex suis fructibus facere potest Ecclesia vel ex liberalitate vel ex contractu oneroso, sicut potest fructus Beneficiales jam perceptos ex gratitudine donare, vendere &c.

## QUÆSTIO III.

An Decima in Feudum Laicis concedi possint.

## SUMMARIUM.

465. Potest SS. Pontifex laicis Decimas in feudum perpetuum concedere.
466. Hæc potestas Episcopis aut nunquam competebat aut seculo ij. ablata fuit.
467. Eam saltem à tempore Concilij Lateran. sub Alexandro III. celebrati non amplius habent.
468. Possunt tamen etiamnum in feudum temporale dare.
469. Opinio quorundam, posse decimas à laicis ad Ecclesiam re-  
versus eisdem ab Episcopo rur-  
sus infeudari.
470. Negativa præfertur.
471. Respondetur ad opposita.
472. Decima ad Ecclesiam rever-  
sa primigeniam naturam recu-  
perant.
473. Possunt in alium transferri,  
quando prior possessor adhuc  
vivit, aut si ad Ecclesiam re-  
versa sunt solum accessorie,  
rum fierent, qua per se obtinere  
non valerent.
- De Episcopis aliisque SS. Ponti-  
fice inferioribus Prælati, supponunt omnes, ut existimat Suar. c. 26. n. 2. ipsos olim potuisse fructus decimarum in feudum etiam perpetuum dare laicis iusta ex causa, multique censent, hanc Episcoporum potestatem durasse usque ad Concil. Lateran. sub Alexandro III. anno 1179. celebratum, in quo eam fuisse sublatam dicunt, videturque asserti c. 2. h. t. §. sanè in 6. Verum constat, ademptam fuisse Episcopis jam ab Urbano I I. in Concilio Turonico anno 1096. id est, annis 83. antè dictum Concilium Lateran. nisi fortè cum Laym. l. 4. Theol. Mor. tr. 6. c. 6. n. 4. alle-  
ras,

465 **A**Sfert. I. Potest SS. Pontifex decimas laicis in Feudum etiã perpetuum concedere. Patet ex dictis n. 463. Hoc potissimum modo pleraque, quas laici possident decimas, ad ipsos pervenisse, supponunt DD. & Jura allegata, idque jam olim testatus est Fridericus I. Imperator, Barbarossa dictus, in oratione habita in Conventu Principum, uti scribit Arnoldus Lubecensis l. 3. c. 18. Scimus (dicebat) decimas & oblationes à DEO Sacerdotibus & Levitis primitus deputatas: sed cum tempore Christianitatis ab adversarijs infestarentur Ecclesia, easdem decimas Præpotentes & Nobiles viri ab Ecclesijs in Beneficio stabili acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesia-

ras, Urbani constitutionem ante tempora Alexandri III. non fuisse ubique receptam. At nihil statuisse Alexandrum, sed supposuisse, hanc facultatem Episcopis non competere, fuisse ostendunt Rebuffus 9. 10. de decim. à n. 11. & Suar. cit. c. 26. n. 3. & 4. Imò Lemaitre l. 1. de decim. c. 10. & Gonzal. in c. 19. h. t. n. 5. contendunt, Ecclesiam nunquam permisisse Episcopis decimas in feudum dare.

467 Assert. II. Episcopi jam non possunt laicis decimas in feudum perpetuum concedere. Ita omnes. Ratio patet: quia, si hanc potestatem unquam habuerunt, ea adempta ipsis est saltem in Concilio Lateran. anno 1179. nec unquam hæc restituta. ut omnes DD. supponunt, nec novæ concessionis ullibi extat aliquod vestigium. Unde consequens est, ut observat Suar. l. c. n. 3. ejusmodi concessionem sine Pontificia auctoritate factam, non tantum illicitam, sed etiam invalidam esse.

468 Assert. III. Probabile est, quod post Panorm. & Covarr. & hoc teste communem DD. asserunt Suar. cit. c. 26. n. 1. & Laym. l. c. n. 5. §. His adde, posse etiamnum Episcopos ex justa causa & adhibitâ Juris solemnitate, laico ad vitam ipsius decimas in feudum concedere. Rationem dant: quia Jure antiquo id erat licitum, & nec ab Urbano II. nec ab Alexandro III. nec à posteriori aliquo Pontifice vetitum

invenitur, sed solum, ne decimæ in feudum perpetuum laicis concederentur, uti colligitur ex c. ad hæc. c. quamvis jun. Gloss. b. t. & c. 2. eod. in 6. §. sane. Afferit quidem Antonelli l. 2. de Temp. legali c. 37. n. 21. obstare Extravagantem Ambitiosa de reb. Eccl. alien. utpote in qua omnis locatio & concessio bonorum Eccles. ultra triennium prohibetur. Potuisset addere Trident. Sess. 25. c. 11. de Reform. ubi similis prohibitio habetur. Verum non obstant: quia ibi ea solum locatio, infeudatio &c. prohibita est, quæ fit sine justa causa & Juris solemnitate: at nos utramque requirimus. Porrò quòd ejusmodi concessio, sive ab Episcopo, sive à SS. Pontifice fiat, se non extendat ad decimas Novalium, nisi etiam istæ fuerint expressæ, diximus supra n. 390.

Dubium ex dictis nascitur, an si 469 decimæ, quæ ante Lateranense laicis infeudatæ erant, ad Ecclesiam revertantur, Episcopus eas denuò infeudare possit. Negant absolute multi. Affirmant Card. Castr. Alvaret. ac alij, quos citat Menoch. l. 6. præsump. §. 6. n. 3. Rationem isti dant. I. Quia Episcopus juxta c. 2. de Feud. non obstante, quòd juravit, se res Ecclesiæ de novo non infeudaturum, poterit decedente vasallo feudum alteri liberè concedere, si viderit expedire. II. Quia Lateran. Concilium prohibet decimas dari laicis in feudum de no-

vo, & antea concessas non aufert: non videntur autem de novo dari, si datae sunt ante Concilium, sed solum continuari. Distinguunt Sonebeck. *de Feud. p. 8. n. 11.* Suar. *l. c. n. 8.* Laym. *l. c. n. 6.* Palao *tr. 10. p. 112. g. in fine*, ajuntque, posse in feudum denuo dari, si Episcopus mortuo Vasallo eas nondum acceptavit & Ecclesiae incorporavit, quia sic nondum censentur esse sub dominio utili Episcopi neque ad hunc pertinere: non posse, si eas jam acceptavit & Ecclesiae incorporavit, quia sic alienaret; at hoc ipsi est prohibitum.

470 Assert. IV. Non potest Episcopus decimas olim infeudatas, si vassalli linea fuerit extincta, vel illae alia ratione ad Ecclesiam fuerint reversae, denuo in feudum concedere. Ita cum Joan. Andr. Panorm. Calder. Praepos. Imola ac alijs, sentiunt Covarr. *l. 1. var. c. 16. n. 5. V. praeter haec.* Menoch. *l. 6. praesum. 86. n. 3.* Zasius *de Feud. p. 4. n. 25.* Bocerius *de Investit. Feud. c. 3. n. 6. 4.* Fachin. *l. 7. c. 72.* Barbof. *de Offic. Episc. p. 3. alleg. 121. n. 10.* Hunnius *Encyclop. p. 3. tit. 2. n. 20.* Moneta *c. 5. de decim. 9. 3. n. 72.* Canif. *c. 14. n. 3.* Balthasar *Pract. Resol. tit. 9. resol. 1. n. 22.* ac alij, lateque id probat Clarus *§. Feudum q. 13 V. sed quare.* Ratio est: quia *c. Prohibemus, & c. Quamvis h. t. c. Cum apostolica de his, qua sunt a Praelat. c. 2. §. sane de decim. in 6. ac alibi*, absolute prohibetur, ne laicis decimae concedantur.

Neque obstat *c. 2. de Feudis*: hoc enim aut nunquam fuit intellectum de decimis, aut quoad has per Jura allegata ipsi fuit derogatum. Neque verum est, quod pro secunda opinione addebatur, concessionem feudi post finitas v. g. generationes ad Ecclesiam reversi non esse novam, sed antiquam: contrarium enim patet ex *l. sed et si manente ff. de Precario, l. 4. prim. ff. de damno infecto junct. Gloss. V. Renovare, l. 113. ff. de V. O.* ex quibus habetur, quod finita obligatione seu exacto tempore, quo ipsa durare debuit, per renovationem nova causa constituatur, idque fuse probant Tiraq. *de Retractu Convent. §. 1. gloss. 7. à n. 24.* Beronius *vol. 1. consil. 129. n. 3.* Gabriel. *l. 3. tit. de Dilat. concl. 2. & 3.* Guttier. *de Furam. consir. p. 1. c. 49.* Hinc pariter non valet, quod ex Suar. & Laym. dicebatur de decimis ab Ecclesia nondum acceptatis & eidem incorporatis. Hoc ipso enim dum feudum aperitur, vi juris directi, quod semper penes Ecclesiam manet, ad eam devolvitur; alias non posset alteri concedere. Quando autem alteri conceditur, nova est concessio, & novum feudum, ut cum communi late tradunt Rosenthal *de Feud. c. 2. concl. 22.* & Menoch. *consil. 104. n. 35.* at decimas de novo in feudum dare Praelatis SS. Pontifice inferioribus juxta dicta est prohibitum.

Ratio intrinseca dictorum est: 471 quia,

quia, ut passim tradunt DD. ac patet ex c. 34. de Præbend. decimæ ad Ecclesiam reversæ naturam primigeniam recuperant, & per consequens in laicos, nisi auctoritate suprema Ecclesiæ, alienari nequeunt. Unde declaravit jam pridem S. Ludovicus Galliarum Rex, teste Molinæo ad Consuet. Paris. §. 68. n. 21. quod decima ad Ecclesiam reversa ex tunc & deinceps semper censeantur mere Ecclesiastica, tanquam ad originem & primitivum statum reversa, etiamsi constaret, quod prius spectabant laicis jure infeudationis ante Concilium Lateranense. Ex quo bene deducit Molinæus l. c. quod decima simpliciter & purè reversa ad Ecclesiam, sit deinceps exempta à Jurisdictione seculari. Quod ait procedere, sive detur seu remittatur Ecclesiæ Parochiali, ad quam de jure communi spectat, sive alteri Ecclesiæ vel Collegio Ecclesiastico, dummodo sine onere & qualitate feudi. Idem S. Rex, eodem teste, optime permittit omnibus, qui in suis terris possident decimas aut alibi, à se tanquam *relevantes* jure feudi, eas Ecclesijs restituere in perpetuum sine ulla alia Regis licentia. Ex quo infert Renat. Choppinus l. 3. de Dominio Gallico tit. 23. n. 8.

& non semel ita judicatum refert, decimas infeudatas, si Ecclesiæ venditæ sint, retractui gentilitio non subijci: quia decimarum, ut ait, *sacrum jus, quæ redierunt ad Ecclesiam postliminio, pristinam recipit sacra rei conditionem.*

Duo hinc ultrò concedo. Primum 473 est, quod Suar. & Barbosa l. cc. velut indubitatum tradunt, transferri decimas in alium posse, quando prior possessor adhuc vivit, quia dum feudum sic transfertur, manet adhuc feudum, & per consequens, dum alteri conceditur, non erigitur de novo; neque decimæ adhuc sunt sub dominio utili Ecclesiæ, ergo per ejusmodi translationem non magis alienantur, quàm modò alienatæ sint, dum ab antiquo possessore detinentur. Alterum est, quod tradunt DD. in cit. c. cum apost. novam infeudationem fieri posse, quando decimæ redierunt ad Ecclesiam non per se, sed accessorie, v.g. cum castro, cui sunt annexæ: quia tunc cum castri concessione de novo concedi possunt, sicut Jus Patronatûs alienatur cum castro, cui adhæret, juxta c. Ex litteris & c. Cum seculum de Jure Patron. quâ ratione Marta p. 2. de Jurisdictione c. 43. n. 64. conciliandas putat relatas opiniones contrarias.

## QUÆSTIO IV.

*An Decimæ à Laicis præscribi possint.*

SUM-

474. Singularis opinio Vasquij de Menchaca præscriptionem decimarum laico asserentis.
475. Rationes ita opinandi.
476. Laici decimas contra Ecclesiam præscribere nequeunt etiam tempore immemoriali & cum bona fide.
477. Relinquendi tamen sunt in possessione immemoriali ob præsumptionem tituli legalis.
478. Juxta plerosque DD. necesse est, ut insuper adsit fama privilegij vel investitura.
479. Dicta possessio non prodest, si constat, titulum legitimum defuisse.
480. Aut si constat, decimas concessas fuisse post Concilium Lateran. nisi pateat, id factum esse à SS. Pontifice.
481. Aut si præsumptioni ex tempore immemoriali obstat alia præsumptio.
482. Post temporis etiam immemorialis possessionem restitueda sunt decima ante omnem sententiam, si constat, legitimum titulo ad laicum non pervenisse.
483. Multum interest, utrum præscripta sint decima, an solum præsumantur legitime concessa.
484. Præsumptio ex tempore immemoriali non est Juri & de Jure.
485. Respondetur ad argumenta Vasquij.
486. Laicus contra laicum decimas præscribere potest.
487. Tempore ordinario cum titulo, absque hoc 30. annis.
488. Et ad illud tempus, ad quod alteri sunt concessa.

474 **T**empore immemoriali decimas à laicis præscribi posse solus tenet Fernand. Vasquius l. 2. contr. c. 87. n. 7. dicens, per tale tempus, cuius initij memoria non extat, laicum assequi firmum jus in decimis, si sciat allegare titulum habitum à Rom. Pontifice, licet re verà ab illo non habuisset. Allegat pro sua opinione Glossam magnam in c. causam de Præscript. Quam tamen nec invenire licuit, nec inveniri alicubi posse existimo. Idem

tamen mox fluctuans ait, per tanti temporis lapsum induci à lege vel concessionem decimarum quasi à Rom. Pontifice habitam, vel efficacem præsumptionem & probationem illius concessionis quasi habitæ à Papa: quod ultimum cum communi DD. ipsa mox concedetur. Argumenta, quæ partim ipse affert, partim afferri pro hac præscriptione possunt, ferè hæc sunt.

I. Si laicus præscribere decimas non posset, tunc idèò, quia propter

propter suam incapacitatem legitime & civiliter eas possidere nequiret. At hoc non obstat: quia interventus temporis immemoralis facit, ut etiam civiliter eas retrò possedisse censeatur, quasi concessionem à Pontifice retrò habuisset, sicque capax eas possidendi factus esset. Ita Vasq. *l. c.*

II. Tempus immemorale non exigit possessionem civilem, nec etiam naturalem, sed nudam rerum detentionem. Ita idem *l. c.*

III. Prohibitio *cit. c. causam*, quo dicitur, quòd laici decimas nullà ratione præscribere valeant, cum eas detinere non possint, solum procedit de casu, quando laicus non in concessione Papali, sed in concessione aliunde habita, suam fundat intentionem & præscriptionem. At hinc sermo est de casu, quo laicus allegat concessionem sibi factam à Pontifice, vel ab Episcopo ante Concil. Lateran. & pro probatione adducit tempus immemorale, quo decimas collegit. Idem Vasq. *l. c.*

IV. Si laicus verè impetrauit decimas à Pontifice, deinde amisit instrumentum concessionis, iniquum foret ipsi non patrocinari post tempus immemorale. Ergo pariter patrocinandum est, si re verà concessio ipsi facta non est, modo eam alleget, & tempus immemorale probet. Imò etiam si eam non alleget: quia tempus illud verum titulum, quin verum jus indu-

cit, ita ut titulum nec probari nec allegari necesse sit. *l. 3. ff. de usucap. l. 1. & ult. §. fin. ff. de aqua & aqua plu. arc.* Ita rursum Vasq.

V. Illud potest præscribere laicus, quod potest possidere; atqui possidere potest, quod est temporale in decimis, cum de facto laici ita possideant, dum decimas colligunt vi privilegij Pontificij aut investituræ: neque plus prætendunt per præscriptionem, quam quod habent per feudum, ac libenter, quod spirituale est, Ecclesiæ relinquunt.

VI. Præscriptio temporis immemoralis æquivaleret privilegio & easdem vires censeatur habere. *c. 26. de V. S.* Ergo sicut laici decimas habere possunt per privilegium, ita per præscriptionem immemoralem.

VII. Etiam si Jura sacra negent præscribi à laicis decimas posse, non tamen censendum est, quòd loquantur de præscriptione immemorali: quia, etsi lex dicat *nullà præscriptione obstante*, non tamen intelligitur exclusa *immemoralis*, imò nec *centenaria*, ut tradunt communiter DD. cum Baldo *in l. 1. C. de ann. except.* sicut non censeatur damnata consuetudo immemorialis, tametsi lex vel statutum consuetudinem reprobet quamcunque, dummodo expressè non damnet etiam immemoralem, ut cum Covarr. aliisque multis tenet Suar. *de Leg. l. 7. c. 20. n. 18.*

VIII. Jus Patronatûs præscribi

E e pote-

poterat etiam contra ipsam Ecclesiam, ac licet Trident. *sess. 25. c. 9. de Refor.* hanc facultatem restrinxerit, nihilominus, qui etiam post illud allegant possessionem immemoriam, illud retinent, quamvis non allegato titulo. Ergo à fortiori præscribuntur decimæ, cum istæ, dum detinentur à laicis, sint aliquid merè temporale. Jus verò Patronatus aut purè spirituale est aut spirituali annexum.

476 **A**ffert. I. Laici præscriptione etiam immemoriam & cum bona fide præscribere decimas contra Ecclesiam nequeunt. Ita DD. omnes Catholici, nemine, quem sciamus, nisi Vasquio, dissentiente. Consentunt passim A catholici, præcipuè Schurpfus *cent. 1. consil. 26. n. 12.* Schneidevvin *in §. retinenda In. st. de Interdict. n. 36.* Bocertus *de Natura Feudi c. 2. n. 28.* Mysing, *Decad. 3. resp. 30. n. 24.* Carpzov, *p. 2. const. 2. desin. 4.* Bruneman, *de Cessione action. c. 4. n. 63.* Joan. Hochmann, *p. 1. consil. Tubing. consil. ult. n. 123. & 143.* & Anonym. *ibid. consil. 19. n. 53.* Neque invenire etiam inter Heterodoxos potui, qui refragetur. Quando verò nonnulli DD. afferunt, à laicis jus decimandi præscribi posse, vel loquuntur de præscriptione improprie dicta, uti Palao *tr. 10. pun. 9. n. 3.* & Leuren, *p. 1. Fori Benefic. q. 474. n. 7.* nimirum quòd ex possessione immemoriam præsumantur habere titulum; vel de de-

cin is à Jure spirituali jam avulsis, uti Leslius *l. 2. de Just. c. 39. n. 19.* Ratio assertionis est: quia præscriptio supponit capacitatem possidendi juxta *l. 25. ff. de Usurp. & usucap. & c. 3. de R. l. in 6.* ergo cum laici, ut dicitur *c. causam 7. de Præscript. decimas detinere non possint, eas nullà valent præscribere ratione.* Quæ similesque Pontificum ac Conciliorum responsiones, non procedunt de Jure decimarum solùm spirituali, seu quatenus in spirituali titulo fundatum est, sed etiam de mera utilitate & fructibus temporalibus, uti late probant Berolius *consil. 21. à n. 8.* Barbof, *de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 56.* Suar. *c. 27.* Laym, *l. c. n. 8.* Gonzal. *in cit. c. 7. n. 16.* Nam Nobilis ille laicus, de quo *cit. c. 7.* agitur, non prætendit jus aliquod spirituale, sed solùm fructus decimales, & nihilominus pronuntiavit Pontifex, ipsum aliòsque laicos non esse capaces possidendi: quia cum decimæ dentur propter spirituale ministerium, sunt de se annexæ officio sacro, ac ideirco potestate solùm Ecclesiæ, & non propria vel Clericorum vel laicorum separari ab illo possunt; quod tamen fieri deberet, si laici eas præscribere possent. Cujus rei ratio ulterior est I. Quia præscriptio requirit bonam fidem & capacitatem possidendi rem ut suam, quarum neutram habet laicus, dum vult apprehendere possessionem decimarum, nisi istæ prius



prius separatae sint à titulo spirituali: nec enim dum nondum separatae sunt, eas possidendi est capax, quia non est capax juris spiritualis, nec bonam fidem habet, quando rem, quae adhuc spiritualis est aut spirituali connexa, vult possidere ut suam. II. Quia sunt nonnullae res, quarum possessio involvit titulum proprietatis, id est, quae propter legis vel Canonis dispositionem possideri juridicè non possunt, nisi subsit titulus, seu jus habendi ac detinendi. Sic liber homo possideri nequit, nisi cum titulo, quo in servitutem redactus sit. *l. 30. §. possessionem. ff. de acquir. possess.* Ita pariter spiritualia possideri nequeunt, nisi titulo privilegij seu concessionis ab Ecclesia legitime factae. Unde sicut laicus possidere non potest jus percipiendi stipendij quod Clericis pro Missis, sepulturis &c. debetur, nisi concessione facta ab Ecclesia, vel postquam ejusmodi stipendia à Clericis percepta jam sunt; ita similiter nec jus decimandi possidere potest, nisi Ecclesiae beneficio capacitatem obtinuerit. Hinc in tali casu neque bona fides prodest possidenti: quia juxta *l. 24. ff. de usucap. ubi lex impedit usucapionem, bona fides possidenti nihil prodest.* At in nostro casu Canon impedit possessionem & usucapionem.

477 Affert. II. Quando laicus decimas à tempore immemoriali percepit, praesumitur bona fides & titulus legalis, & idcirco in sua pos-

sessione tanquam legitima defendendus est, saltem si cum illa concurrat fama privilegij vel investiturae. Ita contra Hostiensem ac alios communis DD. apud Menoch. *l. 6. praesum. §. 6. n. 4.* Felician. Oliva *p. 1. de Foro Eccl. q. 7. n. 103.* Mascard. *de Probat. concl. 1378.* Card. Luca *discurf. 6. & 7. de decim.* Guttier. *l. 1. pract. q. 16.* Balb. *de Praescrip. l. 1. p. 5. prim. q. 7. n. 20.* Ratio est: quia temporis immemorialis possessio vim privilegij sustinet, ejusque praesumptionem inducit. *c. 1. de Praescript. in 6. c. super. 26. de V. S. l. Hoc jure §. ductus ff. de aqua quot. l. si quis ff. de servit. vend.* Neque in dubio mala fides & delictum praesumendum est, nec in dubio privari aliquis debet pacifica possessione immemoriali, cujus capax esse potest aliquo titulo seu concessione.

Num autem sufficiat sola possessio immemorialis, an verò concurrere debeat communis opinio & fama de privilegio vel investitura, controversum est. Sufficere possessionem immemorialem tenent cum alijs nonnullis Gilken *de Praescript. p. 3. c. 8. n. 37.* Balbus *p. 1. part. c. prim. q. 7. n. 20.* Guttier. *l. c. n. 2.* Mascard. *de Probat. concl. 483. à n. 8.* Molin. *de Primogen. l. 2. c. 6. n. 47.* & Covarr. *cit. c. 17. n. 5.* qui tamen in fine addit, fortasse requiri, quòd saltem ex fama constet, laicos decimas titulo feudi possidisse. Praeter possessionem immemorialem famam privilegij vel investiturae

turæ & hujus famæ probationem requirunt post Joan. Menach. Hostiens. Archid. Frider. Sen. Felin. ac alios Beroius Consil. 21. n. 15. & 16. Rebuff. q. 13. n. 69. Moneta c. 5. n. 74. Vivian. de Fur. Patron. p. 1. l. 2. c. 5. n. 33. Menoch. l. c. n. 5. Suar. cit. c. 27. n. 4. & 5. Antonelli de Temp. leg. l. 2. c. 37. n. 12. Barbof. cit. c. 28 §. 2. n. 52. & 53. ubi ait communiter hoc teneri, Gonz. in c. 7. de Præscript. n. 16. Balboa ibid. n. ult. Schurpfius cit. consil. 16. n. 12. Felic. Oliva l. c. n. 104. Pirrhing tit. de Præscript. n. 44. Laym. in c. 1. de Præscr. in 6. n. 3. & Composit. Pacis c. 8. q. 68. n. 159. Fagn. in c. Cum Apost. de his, quæ fiunt à Prælat. à n. 5. ubi dicit esse communem, & constanter teneri à Roma Rom. idemque testantur Garc. de Benef. p. 1. c. 2. n. 38. Barbof. l. c. & Card. Luca cit. disp. 6. Harum opinionum fundamenta non vacat discutere: frustra enim posteriorem decimatoribus laicis opposueris, quam vis dubium esse vix queat, non paucas decimas non privilegio aliquo Ecclesiæ, sed injuriâ temporum & bellorum, desertæ in plerisque Germaniæ Provincijs antiquæ veræque Fidei, Clericorum quæ apostasiæ, quæ socordiæ in defendendis suæ Ecclesiæ juribus aut impotentia, in manus secularium, uti complura alia Ecclesiæ bona, esse devolutas. Unde non benè agunt, qui Principibus & Magnatibus decimas possidentibus suadent, ut

cas non alienent in aliquam Ecclesiam, tanquam adventuras in manus, ut loquuntur, mortuas. Quidni enim revertatur ad Ecclesiam & Patrimonium Christi, quod olim in illo fuit, & forsan iniquè ablatum est, ac remanens in manibus laicorum obstupescere faciet dentes filiorum, quorum patres comederunt uvam acerbam?

Nonnulla nunc ex doctrina mo. 47) dō tradita corollaria, Judicibus causarum decimalium, iisque, ad quos decimæ jure communi pertinent, scitu apprimè necessaria, deducenda sunt. I. Sequitur, quòd si ex scriptura aliqua aut actis constaret, decimas hujus vel illius Parochiæ etiam ante dictum Lateran. Concilium illegitimæ & ipso jure irritæ alienatione in laicum translatas fuisse, v. g. quia consensus Episcopi, aliæve solemnitates requisitæ non intervenerunt, vel quia vi aut clam occupatæ fuerunt, aut precario concessæ: sequitur, inquam, quòd restituendæ sint Ecclesiæ post quancunque temporis lapsum. Ratio patet: quia etsi successores, etiam universales, si mediati duntaxat sunt, rem à suis majoribus malâ fide occupatam, propter bonam suam fidem præscribant, ita ut licet postea de vitioso auctoris initio constet, hoc ipsis non obstat: quia tamen in nostro casu præscriptio locum non habet, & titulus legalis ex diuturnitate temporis tantum præsumitur, idcirco probatâ hujus

hujus præsumptionis falsitate restituendæ erunt decimæ utpote illegitimè & absque justo titulo possessæ, ut passim notant DD. cum Felino in *c. accedentes de Præscript. in 6.* Eadem est ratio, si ex instrumento v. g. reperto appareat, eas post Concilium Lateran. sub Alex. III. celebratum, ab Episcopo, vel Prælato Monasterij, cui incorporatæ erant, vel à Parocho, sine consensu Papali, laico fuisse donatas, infudatas, venditas &c. aut à Prælato Monasterij vel Parocho etiam ante dictum Concilium sine consensu Episcopi. Restitui enim tunc debent Ecclesiæ, quia alienatio fuit invalida, & præscriptio laicis non prodest. Idem dicendum est, si forte Præco Lutheranus vel Calvinianus jus Parochialium decimarum vendidit, ac postea Parochia Catholicis restituatur, uti ante paucos annos in Hungaria annexisque Provincijs, ac antehac in Austria, Bohemia, Silesia, Palatinatu, &c. factum est. Compelli enim tunc earum emptor, sive Catholicus sive acatholicus, ad restitutionem potest ac debet, etiam non refuso ipsi pretio, utpote quod à venditore, qui de evictione tenetur, repetendum erit. Neque obstat Instrumentum Pacis Osnabrugensis, uti patebit consideranti ea, quæ ibi de decimis aliisque redditibus Ecclesiasticis continentur §. 3. & 15.

480 II. Sequitur, quòd dicta præsumptio ex temporis diuturnitate

non sufficiat, quando constat, quòd decimæ sint concessæ post dictum Concilium Lateran. etsi dubium sit, ab Episcopo, an à Papa sint concessæ. Ratio est: quia si ab Episcopo non ad vitam, sed in perpetuum concessæ fuerunt, concessio fuit invalida, nec præscriptio, ut diximus, jus aliquod tribuere potuit. Quòd autem concessæ fuerint à Pontifice, non est præsumendum: quia etsi SS. Pontificibus non sint ligatæ manus, sicut Episcopis, rarissimè tamen, saltem post illud Concilium, decimas laicis concedunt, & ferè solis Principibus, ac solùm pro aliquo casu necessario, v. g. belli contra Infideles aut Hæreticos, non verò in perpetuum. Si ergo constat, coeptam esse possessionem primùm post dictum Concilium, præsumi nequit, concessionem à Pontifice factam esse: quia præsumptio est de ijs, quæ frequenter & communiter fiunt; non verò de ijs, quæ aut nunquam aut rarissimè, uti notant Salicet. ac alij in *leg. neque natales C. de Probat.* Donell. *l. 2 §. c. 3.* & Hilliger *ibi*, Menoch. *l. r. de Præsum. q. 7. §. 13.* Hinc nullus DD. dicit, quòd diuturnitas temporis sufficiat ad præsumendum titulum, si constat, quòd laicus possessionem coeperit post dictum Concilium; sed tunc solùm hanc præsumptionem admittunt, quando dubium est, utrùm illa coepta fuerit ante vel post Concilium, uti apparet ex ijs, quæ tradunt Covarr. *l. c. V. fidu-*

*bitetur Guttier. l. 2. Cap. 99. c. 21. n. 71. & l. 1. pract. 9. 14. Gabriel. de Prescript. concl. 1. n. 22. Balb. cit. 9. 7. n. 19. Mascard. de Probat. consl. 483. n. 6. Suar. c. 27. n. 4. Rosenthal de Feud. c. 4. concl. 28. Moneta c. 5. 9. 3. n. 74. ac passim alij.* Ex quo rursus consequens est, si constaret, laicos fuisse quidem in quasi possessione juris decimarum annis v. g. 300. aut 400. attamen ante hoc tempus jus illud adhuc fuisse penes Ecclesiam, hanc contra laicos restituendam esse. Nam etsi daremus, tam diurnam laicorum quasi possessionem immemorialem esse, ea tamen juxta dicta nequaquam sufficit ad praesumendum legitimum titulum; quae tamen sola praesumptione se defendere queunt laici, si ipsum titulum probare nequeunt. Hinc admitendum neutiquam est, quod tradit Praenob. D. de Clingenberg *assert. 39. de Decim. n. 2.* tametsi constet, quod decimae, quae modo sunt penes laicum, ante 200. annos extiterint penes Parochum, adhuc dicendum esse, quod perfectum fuerit tempus immemoriale, & (ut sequitur ex ijs, quae dixerat *assert. 38. n. 1.*) laicum ob praesumptum ex tanti temporis lapsu titulum in sua quasi possessione manutenendum esse: modo non constet de vitioso initio. Haec, inquam, doctrina neutiquam admitti aut praedicari potest: cum, ut dixi, ex lapsu cujuscunque temporis praesump-

tio iusti tituli pro laico sumi non possit, si constat, post dictum Concilium Lateranense decimas ad laicum pervenisse. Neque ullus Doctorum hanc praesumptionem in tali casu pro laico admittit, sed omnes constanter aut supponunt aut afferunt, eam tunc solum locum habere, quando constat, decimas ante illud Concilium ad laicos pervenisse, aut saltem si dubium est, num ante, an post illud pervenerint.

III. Sequitur, quod pariter lo-<sup>431</sup> cum non habeat praesumptio tituli ex possessione immemorialis, quando laico hanc alleganti obstat praesumptio aliqua specialis contraria, nimirum quod vi vel clam vel precario possideat, quod acceperit ab injusto possessore, vel quod ab Episcopo vel Parocho sine consensu Pontificis. Ratio patet: quia etsi juxta *c. 1. de Prescript. in 6.* possessioni immemorialis non obstat sola praesumptio juris, quae pugnat contra eum, qui possidet id, quod alteri de Jure communi competit: obstat tamen, si concurrat aliqua specialis praesumptio, quae ex quodam facto determinate contra hunc vel illum possessorem pugnat, eumque mala fide vel absque titulo legali possidere arguit. Cum tali enim praesumptione, utpote directe contraria, stare nequit praesumptio ex tempore immemorialis: quia praesumptio praesumptione tollitur. *l. Divus ff. de integr. Rej. l. non solum ff. de*

*ff. de Ritu Nupt. & Specialis præsumptio tollit generalem. l. Cum de indebito ff. de Probat. & Bart. ibi n. 1. Bald. in l. si ve possidetis C. de Probat. col. 1. ac latè Menoch. l. 1. præsump. 29. & de Arbitrar. casu 472. Peckius in Reg. 34. Jur. in 6. n. 2. Debet igitur laicus in prædictis casibus allegare & probare titulum legalem, cum cesset præsumptio tituli, quæ cæteroque ex possessione immemoriali nascitur: habetque tunc maximè locum dispositio c. 2. de Rest. spol. in 6. ubi Canonici, qui in aliena Parochia decimas possederant, & à Parocho loci fuerant spoliati, negatur restitutio, nisi evidenter docuerint, quod earum possessionem legitime asscuti essent. Quia eas occupasse injustè verisimiliter præsumuntur, cum proveniant ex prædijs intra alienam Parochiam constitutis.*

482 IV. Sequitur, quòd laicus vel communitas laicorum in conscientia & ante omnem sententiam decimas Ecclesiæ restituere teneatur, quamprimùm novit, eas sine vero titulo ad se pervenisse, v. g. quia resciscit, aliquem è majoribus vi aut clam eas usurpasse aut ab iniquo possessore accepisse. Etsi enim mala fides antecessoris non obsit, quin successor longissimi aut immemorialis temporis possessione rem alienam usucapere possit, quia tamen præscriptio locum hinc non habet, & præsumptio, quam

parit immemorialis possessio, veritate seu veri notitiâ tollitur *can. 4. 5. & 6. diff. 8.* idcirco restituendæ sunt decimæ, utpote alienæ, quia nec vero titulo nec usucapione acquisitæ.

V. Sequitur, multùm interesse, 483 utrùm laicus decimas præscribat præscriptione verâ & propriè dictâ, an verò solùm impropriâ, quando videlicet defenditur solum ex præsumptione tituli, quam inducit quasi possessio immemorialis. Si enim propriè præscriberet, sive ex ipsa possessione & bonâ fide titulum & jus acquireret (quod fieri posse cum communi omnium negavi n. 475.) tunc etiam si postea constaret, absque habili titulo, id est, absque legitima Ecclesiæ concessione, decimas ad ipsum pervenisse, nihilominus in earum possessione manutenendus esset, propter jus sive titulum ex præscriptione sibi bonâ fide comparatum. Si verò (quod n. 476. dixi) solum defenditur vi privilegij ex quasi possessione immemoriali præsumpti, tunc non obstante tali possessione eas restituere tenetur, si postea de contrario constet, videlicet decimas ipsi ab Ecclesia aut omnino non aut non validè fuisse concessas, ut patet ex dictis n. 478. & seqq.

Dices: Præsumptio, quam parit 484 tempus immemoriale, est juris & de jure, ut tradunt Felin. in c. cum nobis de Præscript. alique apud Mas-

Mascard. *de Probat. concl. 1378. n. 37.* At præsumptio juris & de jure non admittit probationem in contrarium: ergo qui possedit decimas tempore immemoriali, solum tenetur probare hanc possessionem, nec admittendus est adversarius volens defectum tituli probare. Verum major negatur cum Glossa in *c. 1. de Rescript. in 6.* (quam Parisius *vol. 1. consil. 27. n. 120.* ait à nemine reprobari) Franco, aliisque, quos congerit Gabriel. *tit. de Præscript. concl. 1. n. 50.* & sequuntur Arnol Rath. *de Usucap. c. 5. assert. 47. & c. 3. asser. 34.* Canil. *de decim. c. 9. n. 18.* Fachin. *l. 8. contr. c. 33.* hisque testibus Juridica nostra Facultas respondendo sapius secuta est: idque jure meritissimo, quia aliàs possidenti tempore immemoriali obijci non posset mala fides, cum qua tamen nullo tempore præscribitur: *c. 5. & ult. de Præscript. reg. 2. Fur. in 6.* Adde, quod Præsumptio Juris & de Jure juxta *c. Is qui de sponsal. est dispositio legis & canonis aliquid præsumentis & super præsumpto, tanquam sibi comperto, statuentis: unde ad eam requiritur, ut lex exprimat & faciat, ne in hoc vel illo casu probatio in contrarium admittatur, ut cum Innoc. & Baldo tradit communis apud Menoch. *l. 1. de Præsumpt. q. 3. à n. 19. & l. 4. præsum. 89. n. 19.* at nulla lex sanxit, ut contra immemorialitatem temporis probatio non admittatur. Quan-*

do Felinus aliique ajunt, tempus immemoriale facere præsumptionem Juris & de Jure, intelligendi sunt de casu, quando illud tempus est causa inducens, ut cum Ant. de Butrio ac alijs loquitur Mascard. *l. c. n. 39.* id est, si usucapionem & jus inducit; non verò, si est causa solum declarans, id est, si tantum declarat & præsumi facit justum titulum, uti in nostro casu contingit.

Sic stabilità nostrâ assertionem de incapacitate laicorum ad præscribendas contra Ecclesiam decimas, facile est dissolvere rationes *n. 474.* eidem oppositas. Ad I. x. tempus immemoriale facere, ut quis etiam retrò civiliter possedisse censeatur, si is, qui detinet, possessionis est capax; secus, si incapax est, uti est laicus decimarum. Quod verò censeatur capax esse factus à Pontifice, ultrò concessimus. At quia hæc est mera præsumptio, idcirco corrui, si aliunde constat, quod per privilegium Ecclesiæ vel investituram capacitatem non obtinuerit, utpote quam sola detentio non tribuit, sed supponit.

Ad II. Quod tempus immemoriale non exigit possessionem aut civilem aut naturalem, gratis asserit Vasquius, quia sine legis & DD. auctoritate, qui omnes supponunt possessionem ad ufucapiendum esse necessariam. Sic *c. 7. de Præscript.* absolutè traditur, laicos nullâ ratione posse præscribere decimas, quia eas non possunt detinere, videlicet

delicet detentione juridica & utili ad ufucapiendum. *Reg. 2. Fur. in 6. & leg. sine possessione ff. de usucap.* absolute pariter asseritur, sine possessione non procedere prescriptionem, nullaque vel ibi vel alibi prescriptio excipitur.

Ad III. Ex eo, quod laicus decimator allegat concessionem Pontificis vel Episcopi ante Concil. Later. tantum sequitur, quod ex possessione immemoriali allegatio vera esse presumatur; neutiquam vero, quod verum alleget, aut quod decimas sine titulo acquisitas prescripserit. Hinc si aliunde constat, aut ex contraria aliqua presumptione probabile est, quod titulum habilem ab Ecclesia non habeat, corrumpit illa presumptio tituli ex tempore immemoriali.

Ad IV. Quod tempus immemoriale verum titulum & jus tribuat, ita ut illum probari necesse non sit, solum procedit de illo, qui possessionis & ufucapionis est capax; non item de incapaci, ut diximus ad primum.

Ad V. Responsio patet ex dictis n. 425. neque enim illud, quod in decimis temporale est, separari a jure spirituali potest per solam laici detentionem, sed hoc fieri necesse est auctoritate Ecclesie.

Ad VI. Regula illa, quod quidquid acquiri potest privilegio, acquiri possit possessione temporis immemorialis, vera est de possessione juridica, & cui lex non resi-

stet, qualis non est, quam laici detinent decimas: huic enim Canones resistunt, & ipsa decimarum natura. Unde latum est discrimen inter privilegium ex una, & inter prescriptionem ac possessionem ex altera parte: illud enim dat capacitatem; at prescriptio supponit possessionem, & hæc supponit capacitatem possidendi, non vero eam dat, ut fuse explicant Felin. *inc. accedentes de Prescript.* Panorm. *inc. cit. c. 7.* & Balbus *de Prescript. l. p. 5. prin. q. 7. n. 17.*

Ad VII. Licet sub generali exclusione prescriptionis non reprobetur immemorialis, hæc nihilominus locum non habet, ubi deest capacitas possidendi, ut hæcenus diximus. Hinc Pontifex *cit. c. 7.* non tam prohibet laicis omnem decimarum prescriptionem, quam supponit esse impossibilem, eo quod possessionis sint incapaces, antequam legitimam Ecclesie auctoritate separatam a jure spirituali fuerit, quod in ipsis est temporale.

Ad VIII. Jus Patronatus prescribere possunt laici fideles, quia privilegio Ecclesie generatim & absolute ejusdem sunt capaces: non autem capaces pariter sunt facti juris decimandi. Si etiam hujus capaces fuissent redditus, prescribere pariter possent.

Assert. III. Laicus jus decimandi prescribere contra laicum potest. Ita sentiunt Felin. *inc. 7. de Prescript. n. 4.* Aug. Barbof. *ibid.*

n. 5. & de Offic. Par. c. 28. §. 2. n. 54.  
 Balb. de Præscr. pt. 1. p. 5. prin. q. 7.  
 n. 21. Fern. Valq. l. 2. contr. c. 89. n. 3.  
 Vatafc. de Jure Emphyt. q. 17. n. 13.  
 Card. Paris. vol. 4. consil. 25. à n. 10.  
 Guttier. l. 1. pract. q. 4. n. 3. & q. 15.  
 n. 7. ubi dicit esse communem, Re-  
 buff. q. 13. n. 55. Leuren. in Foro Be-  
 nefic. q. 47. n. 6. Felic. Oliva. p. 1. de  
 Foro Eccl. q. 7. n. 58. Antonelli de  
 Temp. legali l. 2. c. 37. n. 18. ac alij.  
 Rationem dant: quia mutatâ per-  
 sonæ possidentis conditione, muta-  
 tur ipsorum bonorum conditio.  
 c. 1. §. Verùm de Jure Patr. in d. l. 90.  
 ff. de Acquir. hared. Quando ergo  
 decimæ per legitimam Ecclesiæ  
 concessionem in laicum transfe-  
 runtur, separantur à jure & titulo  
 spirituali, fiuntque laicales, & per  
 consequens alij quoque laici ea-  
 rum sunt capaces. Qua capacita-  
 te semel positâ jam non est ratio,  
 cur ab ipsis non possint præscribi.  
 Videturque hoc non solum tunc  
 admittendum, quando decimæ ab-  
 solute & in vim simplicis ac perpetuæ  
 donationis in laicum translatae  
 fuerint; sed etiam quando in feu-  
 dum datae sunt. Quamvis enim de  
 hoc dubitet Felic. de Oliva l. c. m. 59.  
 eò quòd, si solum in feudum dan-  
 tur, non omnino separentur à jure  
 spirituali, propter recognitionem,  
 quam debent Ecclesiæ, & domi-  
 nium directum, quod penes eam  
 manet. Non tamen hoc obesse vi-  
 detur: quia etiam per investituram  
 id, quòd in decimis temporale est,

separatur à jure spirituali. Unde  
 non apparet, cur præscribi etiam à  
 laico non possit: neque enim præ-  
 scriptio tollit jus directum Eccle-  
 siæ (cùm istud non præscribatur)  
 neque præjudicium aliud eidem  
 facit, cùm respectu Ecclesiæ perin-  
 de sit, penes quem ex laicis sit do-  
 minium utile; & forsan istud faci-  
 lius redibit ad Ecclesiam, dum est  
 penes præscribentem, quam dum  
 penes eum, cui in feudum est con-  
 cessum.

Dubium duntaxat est, quantum  
 tempus ad hanc præscriptionem  
 requiratur. Pasiusius l. c. n. 12. re-  
 quirat immemorabile. Verùm me-  
 lius alij ajunt, sufficere cum titulo  
 ordinarium, absque titulo longis-  
 simum: quia si cum titulo require-  
 retur longissimum, sine illo imme-  
 moriale, uti juxta c. 1. de Præscr. pt.  
 in d. requiritur, quando contra  
 propriam Parochiam Parochia a-  
 liena vel Monasterium præscribit,  
 tunc hoc idèd, quia in tali casu lai-  
 co Jus resisteret: at non resistit, ut  
 patet ex dictis supra n. 457.

Cæterùm laicis hanc præscri-  
 bendi facultatem DD. duntaxat  
 concedunt, quando decimæ titulo  
 perpetuo feudi vel simili illis con-  
 cessæ sunt: non verò, si solum ad vi-  
 tam, vel tempus aliud determina-  
 tum aut indeterminatum, non ta-  
 men perpetuum. Fatendum equi-  
 dem est, non posse in hoc ultimo  
 casu decimas à laico præscribi ita,  
 ut fiant præscribentis in perpetuum



tum vel ultra id tempus, ad quod concessa sunt ab Ecclesia illi, contra quem praescribitur: non tamen apparet, quare non possint praescribi & possideri ad certum illud tempus, ad quod ab Ecclesia concessa sunt, v. g. ad 30. annos, si ad hos unus est investitus, & alter eas post 5. aut 10. annos bona fide & cum titulo coepit possidere.

## QUAESTIO V.

*An Decimae laicis vendi & locari possint.*

### SUMMARIUM.

489. Status questionis.

490. Jus decimandi nec licite nec nec valide venditur, aut permutatur re temporali.

491. Locari fructus decimales possunt etiam laicis.

492. Decima, quae sunt ipsius Ecclesiae, locari ultra triennium non possunt sine solemnitatibus.

493. Possunt illae, quas percipit Parochus.

489 **S**ermo hic non est de decimis à jure spirituali jam avulsis, & ut loquuntur, secularizatis (de his enim *seq. q. agerur*) sed de decimis Ecclesiasticis propriè sic dictis, ita ut sensus quaestionis sit, an decimae quae penes Ecclesiam sunt, venditione, locatione, aut permutatione transferri in laicos possint. Pariter sermo non est de solis fructibus; hos enim, quando semel vel decimarum, vel oblationum, aliòve simili nomine ab Ecclesia percepti sunt, aut certè quando omne jus percipiendi penes ipsam est, in laicos titulo vel oneroso vel lucrativo transferri posse, extra dubium est; partim quia hanc alienationem ab ipsa ejusque ministris fieri necesse

est in dandis eleemosynis, faciendis remunerationibus, comparandis ex pretio venditorum fructuum rebus, quibus indigent; partim quia alienandò fructus, quorum omne jus penes ipsos est, nihil vel rei vel juris spiritualis in laicos transferunt.

Assert. I. Jus decimandi laici nec licite nec valide emere possunt. Patet cum ex eo, quod hoc jus est spirituale, & sic pretio nequidem à Clerico vel Ecclesia comparari potest juxta dicta n. 433. tum quod laici ejus non sunt capaces. Neque contrahentium propria auctoritate separari, quod in decimis temporale est, à jure spirituali potest. Eadem est ratio de permutatione.

F f 2 tione,

tione, aliisque hujusmodi contractibus, in quibus intervenit aliquid pretio æstimabile, idque agitur, ut plenum jus & dominium transferatur.

491 Aliud dicendum est de locatione: constat quidem, jus ipsum decimandi, utpote spirituale, locari non posse; at certum pariter est ex *c. 2. de locato*, locari posse fructus. Patetque ratio: quia per hanc locationem transfertur in conductorem sola commoditas fructuum temporalium, pro qua accipere mercedem non est simoniacum, cum nihil spirituale veniat in contractum. Unde consequens est, eos etiam laicis locari posse, sicut vendi vel locari iisdem possunt alia bona temporalia Ecclesie, fundi, prædia, &c. Dubium duntaxat est, ad quod tempus locari possint. *Suar. cit. c. 25. n. 9. Canis. c. 13. n. 11. ac passim alij, absolute tradunt, absque debitis solemnitatibus ad longum tempus id fieri non posse, juxta cit. c. 2. c. 1. & 9. de Reb. Eccl. alien. Clem. 1. & Extrav. un. comm. eod.* Verum distinguendum est inter decimas, quæ debentur proprie ipsi Ecclesie, & applicantur in sumptus, quos facere ipsa debet in fabricam, alendos cantores, aliosque ministros, comparandas vestes sacras; & inter eas, quæ sunt assignatæ Rectori aliisque Beneficiatis. De illis sit

492 Assert. II. Decimæ, quæ debentur ipsi Ecclesie, & non Parocho,

locari nequeunt, nisi ad breve tempus, quale est triennium juxta *Extrav. Ambitiosa de reb. Eccl. alien.* si agitur de rebus Ecclesie alienandis, vel novennium, sicubi forte illa *Extrav.* non est recepta. Ita cum communiore tradunt *Guttier. l. 1. 99. can. c. 8. n. 14. Barbof. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 95. n. 30. & in Extrav. un. de reb. Eccl. alien. n. 4.* Rationem dant; quia inter res Ecclesie alienari prohibitas cit. *Extravagante* expressè numerantur fructus.

Assert. III. Potest Parochus aliusve decimator Ecclesiasticus fructus decimarum ad tempus longum, imò etiam ad vitam suam locare laicis. Ita post *Panorm. Silvest. ac Covarruv. tradunt Less. l. 2. c. 24. n. 70. Molina Jur. l. 1. de Primog. c. 21. n. 24. Molina Th. tr. 2. de Just. disp. 466. n. 6. Quaranta V. Alienatio n. 18. v. 3. Filliuc. tom. 3. tr. 44. c. 2. §. 1. 9. 8. Bonacina tr. 2. de alien. rer. Eccl. q. un. pun. 3. n. 24. Barbof. in cit. Extravag. n. 7. Laym. in c. 7. de Prescript. n. 2.* Ratio est: quia tali locatione non læditur Ecclesia, cum res duntaxat suas locet decimator, seque obliget obligatione solum personali ad dandam alteri commoditatem, quam ipse esset habiturus: quæ obligatio cessat, si Beneficio ipse decedit, eò quòd extincto jure dantis extinguitur etiam jus accipientis. *l. lex veſtigialiff. de Pignor.* Ex quo ritè infer-  
uter-

uterque Molina cum alijs plurimis, tum tempus, quo decimator jus vendi etiam totam illam commoditatem unico pretio posse ad to-

decimandi habebit.

## QUÆSTIO VI.

*An laici transferre Decimas in alios pro arbitrio possint.*

### SUMMARIUM.

494. Laicus decimas injustè detentas nequit sine consensu Episcopi alteri Ecclesie restituere, quam cui debentur.
495. Valida est translatio in aliam Ecclesiam, si accedat consensus Episcopi, & occupata illa fuerint ante Concilium Lateranense.
496. 497. 498. Respondetur ad opposita.
499. Non valet illa translatio, si fuerunt injustè obtenta post dictum Concilium, aut si concessa fuerunt solum ad tempus.
500. Multò minus valet alienatio in laicum.
501. Concessa validè in feudum perpetuum transeunt ad successores etiam laicos.
502. Possuntque cum consensu Episcopi alteri laico in feudum, si præjudicium filiorum absit.
503. 504. Solvuntur objectiones.
505. Decima laicis donata non sunt, sed solum in feudum data.
506. Justè possessa absque consensu Episcopi restitui possunt Ecclesie, cujus antè fuerant.
507. Alteri verò Ecclesie cum consensu Episcopi.
508. Et oppignerari etiam laico.
509. Consuetudine inolitâ laici de illis disponunt sicut de patrimonialibus.

**E**xplicatum hætenus est, quæ ratione decimæ ab Ecclesia in laicos transferri possint: nunc discutendum è contrario est, an laici eas liberè in alios vel laicos vel Clericos alienare possint. Quæ quæstio difficilis est, quòd Jus scriptum & consuetudo inter se pugnant,

nec minus inter se Doctores in Jure explicando & contraria consuetudine tuenda. Ad evitandam confusionem, quam apud non paucos invenies, juxta diversos casus diversas decisiones fieri necesse est.

Affert. I. Laicus decimas inju- 494  
stè detentas restituere tenetur illi

Ff 3 Eccle-

Ecclesiæ, cujus sunt, nec absque consensu Episcopi in aliam transferre potest. Assertio certa est, patetque cum ex *l. Id, quod nostrum ff. de R. J. & c. 1 s. h. t.* tum ex ratione naturali, quæ jubet cuique restitui, quod suum est.

495 Assert. II. Si laicus detinens decimas ante Concil. Lateran. injustè obtentas induci nequit, ut eas restituat Ecclesiæ, cui debentur, consentire potest Episcopus, ut dentur alteri Ecclesiæ vel pio loco, valebitque hæc translatio. Ita contra Panor. aliòsque sentiunt Fer. Vasq. *l. 2. contr. c. 89. n. 2. Suar. c. 26. n. 11. & 12. Em. Gonzalez in c. 19. h. t. n. 8. Aug. Barbosa p. 3. de Offic. Episcop. alleg. 121. n. 6. & 7.* (ubi Suarezium malè citat in oppositum) Schambogen *h. t. n. 68.* aliisque communiter. Probatur ex *c. Cum Apostolica 7. de his que sunt à Pralat.* ubi dicitur, decimas laico antè Lateranense in feudum perpetuum concessas posse auctoritate Episcopi absque consensu Capituli in aliam Ecclesiam transferri. Similia habentur *c. 2. h. t. §. 3.* Esse autem ibi sermonem de decimis injustè & invalidè concessis, ex *cit. c. 7.* aperte desumitur: dicitur enim ibi, quòd monendus est laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat: qui si forte induci nequivit, & eam cum diocesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui, constabit ipsa donatio

perpetuâ firmitate subnixâ. Ubi imprimis notandum est verbum *detinet*: dicuntur enim decimeri, quæ retinentur injustè, cum *detinere* referatur ad factum, *possidere* ad jus. Præterea dicitur monendus esse laicus, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat. Igitur sermo est de eo, qui injustè detinet, & restituere tenetur: neque enim, qui justè possidet, monendus est, ut restituat. Denique citat ibi Pontifex S. Hieronymum: at iste expressè dicit, *si fuerint à laico malè detenta.* Loquitur ergo etiam Pontifex de decimis malè detentis.

Dices I. Episcopus spoliare Ecclesiam decimis nequit, ergo non potest concedere, ut quæ debentur uni, applicentur alteri: sicut non potest concedere, ut res furtiva applicetur Ecclesiæ, & domino non restituatur. R. tunc solum id posse concedi ab Episcopo, si laicus induci nequeat, ut eas restituat illi, cui debentur: quia sic evitatur majus malum, cum minus inconveniens sit decimas transferri ab una Ecclesia in aliam, quam à laico injustè retineri. Sicut ergo creditor licentiam dare mihi potest, ut, quod ipsi debeo, largiar pauperibus, vel pio loco; ita Ecclesia universalis, quæ est velut principalis creditor, ad decimas recuperandas, quæ ipsi aliàs omnino perirent, per Episcopos concedere potest, ut alteri Ecclesiæ restituantur, hæcque restitutio valida habeatur.

Dices

497 Dices II. Ad alienationem rerum Ecclesie non sufficit auctoritas Episcopi, sed requiritur insuper consensus Capituli: atqui hic agitur de alienatione decimarum. R. ex *cit. c. 7.* majorem esse veram, si agatur de alienatione proprie dicta; non verò, si solum de revocatione, qualis hic est. Sic enim loquitur textus: *In alienatione consensus Episcopi sine Clericorum consensu non sufficit: in revocatione autem sufficit consensus Episcopi: cum per utrumque utilitati Ecclesie consulatur.*

498 Dices III. Juxta *c. ult. h. t.* non potest laicus decimas injustè obtentas cum consensu Episcopi alteri Ecclesie oppignerare, ergo neque donare potest. R. N. Consequ. quia si tales decimæ oppignerarentur cū consensu Episcopi, censeretur Ecclesia iniquitatem laici injustè eas detinentis approbare; haberet enim laicus jus pignoris: si autem donat, nihil retinet.

499 Assert. III. Episcopus non potest consensum præstare, ut laicus decimas post Lateranense injustè obtentas, restituat alteri Ecclesie, quam cui debentur. Ita Suar. *cit. c. 26. in fine*, Barbof. *cit. alleg. 121. n. 7.* Schambogen *cit. n. 68.* Ratio perspicua est: quia concessio, de qua *n. 495.* facta est solum quoad decimas ante Lateran. obtentas, ut patet ex *cit. c. 7.* neque licentia, quæ cedit in præjudicium particularem Ecclesiarum, extendenda est;

præsertim cum nec ratio nec necessitas, ob quam licentia illa data est circa decimas ante Lateran. detentas, procedat de decimis post illud Concilium obtentas: cum enim de decimis ante Lateran. obtentis, constare vix posset, justè an injustè concessæ fuerint, idcirco indistinctè permissum fuit, ut Ecclesie cui-cunque restitui possent; modò consensus Episcopi accederet: quæ ratio, ut palam est, non procedit de decimis posterius concessis. Eandem ob causam dicendum est, non posse cum consensu Episcopi decimas restitui alteri Ecclesie, quam cui debentur, si concessæ laico fuerunt, non in feudum perpetuum, sed solum ad tempus; quia *cit. c. 7. & c. 2. h. t. §. 3.* tantum loquitur de illis, quæ in feudum perpetuum concessæ invalidè fuerunt.

Assert. IV. Multò minùs concedere potest Episcopus, ut laicus decimas invalidè, sive ante sive post Lateran. obtentas, alienare possit in laicum. Conclusio certa est, & ab omnibus recepta: quia *c. 19. h. t.* absolute prohibetur, *ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre*, & *cit. c. 7. ac c. 2.* hujusmodi translatio cum consensu Episcopi solum conceditur in aliquam Ecclesiam.

Assert. V. Laicus decimas sibi in feudum perpetuum validè concessas transmittit, etiam sine Episcopi

copi consensu, in successores etiam laicos, juxta naturam & qualitatem feudi, ita ut si feudum sit ex pacto & providentia, transmittat solum in liberos; si est hereditarium vel mixtum, transmittat in heredes etiam extraneos. Ratio patet: quia Ecclesia decimas concedere in feudum potest: ergo si concedit etiam pro liberis, vel pro heredibus quibuscunque etiam extraneis, necesse est, eas etiam ad hos vel illos transire. Quod verum est, etsi expressa mentio successorum facta non sit, dummodo decimæ in feudum perpetuum datæ fuerint; neque enim intelligi potest, quomodo feudum possit esse aut dici perpetuum, nisi ratione successionis hereditariæ. Unde quando Panor. *in c. Prohibemus h. t.* Hostiens. Archidiac. Rebuff. aliique multi negant, posse laicum alteri laico, etiam cum consensu Episcopi, donare vel transmittere decimas in feudum sibi concessas, intelligendi solum sunt de feudo invalidè, vel duntaxat ad tempus concessio; vel quod in particulares successores, qui ex testamento vel ab intestato non succedunt, transferri nequeunt: secus enim negarent hoc ipso, decimas in feudum perpetuum concedi laicis posse; hoc autem negare tantis Doctoribus utique in mentem non venit.

502 Assert. VI. Laicus justè possidens decimas, eas alteri laico in feudum dare potest cum consensu

Episcopi, dummodo per hoc juri filiorum non præjudicet. Ita tradunt Gloss. *in c. Prohibemus 19. h. t.* Card. *ibid.* Jo. Andr. *in c. 1. de Prescr. in 6.* Sylv. *V. decima q. 10.* Suar. *cit. c. 26. n. 8.* aliique, quoscitant & sequuntur Barbof. *cit. alleg. 121. n. 8. & 9. & in cit. c. 19. n. 7.* & Fern. Valsq. *cit. c. 89. n. 2.* contra Panorm. ac alios, quos iidem recensent. Ratio nostræ sententiæ, quam Guttier. *l. 1. pract. c. 1 s. n. 6.* veriore ac communior dicit, est: quia dum feudum Ecclesiæ nondum apertum transit ab uno in alium, non conceditur ab Ecclesia de novo, neque est sub ejus utili dominio, sed solum sub diretto, ac idcirco talis translatio auctoritate Episcopi facta non est alienatio, sed solum continuatio alienationis jam antè legitimè factæ: ergo non comprehenditur sub prohibitione Urbani II. & Concilij Lateran. quia hæc solum vult, ut decimæ, quæ sunt penes Ecclesiam, non dentur in feudum laicis, & alienentur, ut diximus supra n. 473. Cæterum præter consensum Episcopi requiri etiam consensum Ecclesiæ, de cujus decimis transferendis agitur, benè asserit Laym. *l. 4. T. b. Mor. tr. 6. c. 6. n. 6.* cum de rebus Ecclesiæ sine ejus consensu disponere nequeat Episcopus, nisi fortè ejus Rector irrationabiliter dissentiat.

Dices I. cum Panor. *l. c. & Lessio 501 l. 2. de Just. c. 39. n. 21.* talis infeudatio cederet in magnum Ecclesiæ præ-

præjudicium, si is, qui decimas transfert, careret liberis: quia feudum, quod tunc reverteretur ad Ecclesiam, manebit apud secundum vasallum, seu subvasallum ejusque descendentes masculos. R. præjudicium hic nullum fieri Ecclesie: quia, quidquid sit de feudis secularibus, feudum certè Ecclesiasticum non manet apud subvasallum mortuo vasallo, qui subinfeudavit, ut observat Pirh. *h. t. n. 147.*

104 Dices II. Episcopus consentiens in infeudationem decimarum, censeretur ipse eas in feudum dare: cum, qui eas accepit à laico, non hujus, sed Ecclesie vasallus efficiatur. Atqui Episcopus eas in feudum dare nequit, ut dixi supra n. 470. R. Episcopo eam duntaxat concessionem esse vetitam, quæ est alienatio; per consensum autem, quem præstat in infeudationem, non alienat, sed solum continuat alienationem jam antè legitimè factam; quod ipsi prohiberetur non est, juxta dicta n. 473. & n. 502.

105 Dices III. C. 19. h. t. absolute prohibetur, ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo eas transferre. Atqui ordinariè præsumuntur eas cum animæ periculo detinere, ut colligitur ex cit. c. 7. de his, quæ sunt à Pralat. vel quia concessæ ipsis non sunt prudenter & in commodum Ecclesie; vel quia in concessione intervenit aliqua coactio;

vel quia Ecclesie non præstant obsequia, quæ deberent. R. illo c. 19. agi de decimis injustè detentis, ut ibi observant Barbosa ac alij, patèntque ex verbis *cum animarum suarum periculo, & verbo detinentes*. Quamvis autem dubitari nequeat, non paucas decimas à laicis injustè retineri, cum olim non infrequens fuerit Advocatorum & Patronorum Ecclesie violentia in ejus bona involantium, præsertim tempore schismatum, & dissidiorum Imperatores inter & SS. Pontifices, ac turbatæ per hæreses utriusque Germaniæ, Galliæ, Hungariæ &c. jure tamen asseri universim non potest, quòd laici cum periculo animæ illas detineant, nec de hoc vel illo in particulari præsumendum est, quamvis servitia & juramentum Ecclesie non præstent: hæc enim etsi vi feudi debeantur, eidem tamen substantialia non sunt, sed solum connaturalia, & consequenter pacto vel gratuita remissione, vel præscriptione tolli possunt. Hinc ex eo, quòd laici illa Ecclesie non præstant, non sequitur, quòd decimæ ipsis non in feudum concessæ, sed simpliciter & absolute donatæ fuerint, ac ipsi propterea liberè de ijs disponere, & in quoscunque transferre possint, nullumque ampliùs jus in illis Ecclesie supersit: nullibi enim legitur, ejusmodi donationes ab Ecclesia factas esse, sed loquuntur Jura solum de infeudatione. Neque etiam

G g hodie

hodie decimatores vel Ecclesiastici vel laici ab omni onere immunes sunt, cum teneantur ad reparandas Ecclesias aliasque ejus necessitates sublevandas concurrere, si ipsæ sufficientes ad id redditus non habeant, ut patet ex Trident. *sess. 21. c. 7. de Refor.* traditque ibi Barbosa cum communi DD. Unde consequens est 1. quod bene observat Leürenius *p. 1. Fori Benef. q. 475. n. 3.* cum Engel ac alijs, jus directum in decimis semper salvum manere Ecclesie, hasque per præscriptionem nunquam transire in allodium, eò quòd juris directi incapax sit laicus. Consequens est 2. quòd laicus decimator neque remittere possit decimas ijs, qui solvere tenentur, in perpetuum & ultra tempus, quo jus penes ipsum & familiam suam permanfurum est: quia tali remissione præjudicaret juri directo, quod manet penes Ecclesiam, & cum quo consolidatur jus utile, si familia decimatoris est extincta.

506 **Affert. VII.** Laicus decimas justè acceptas, etiam in feudum perpetuum, restituere seu redonare potest Ecclesie, ad quam spectabant, etiam absque Episcopi consensu. Ita omnes. Patet ex *cit. c. 7. de his, qua sunt à Pralat.*

507 **Affert. VIII.** Potest laicus decimas, accedente consensu Episcopi ordinarij, donare alteri cuiquam loco sacro. Patet à fortiori ex *dictis n. 495.* Si enim cum illo con-

sensu decimas etiam injustè detentatas transferre potest in aliam Ecclesiam, quàm cui debentur, poterit à fortiori transferre justè possessas. Esse tamen hinc necessarium consensum Episcopi, ex eo patet, quòd Ecclesia, quæ eas in feudum concessit, per hujusmodi translationem in perpetuum amittit spem illas recuperandi, & idcirco translatio est quædam alienatio, quam constat fieri non posse absque consensu Episcopi. Necessarium tamen non esse consensum Capituli, aut tractatum, tradunt cum Azor Lessius *l. c. n. 20.* Palao *p. n. g. n. 6.* Leüren *l. c. n. 2.* & diximus *cit. n. 495.*

**Affert. IX.** Laicus justè possidens decimas oppignerare eas etiam laico potest. Ita cum Innoc. Panor. ac alijs Pirhing *h. t. n. 123.* Leüren *l. c. n. 4.* oppignerat enim solum id, quod ipse possidet; hoc autem solum est temporale; neque talis oppignatio ullibi prohibita est. Neque obstat *c. ult. h. t.* ubi dicitur: *interdicimus universis personis Ecclesiasticis, ut decimas detentas à laicis ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus accipiant ab iisdem laicis non presumant.* Nam vel loquitur de decimis injustè detentis, cum res, quæ in bonis nostris non sunt, in pignus dare non possumus. *l. filios C. que res pign. oblig. non poss.* Unde sic detentæ ne quidem Ecclesie, multò minus laico, oppignerari possunt etiam cum consen-




consensu Episcopi, utpote qui per suum consensum iniquitatem detentoris approbare videretur. Vel, si loquitur de decimis justè possessis, sensus est, eas sine consensu Episcopi dari in pignus non posse: si enim cum hujus consensu Ecclesiæ vel laico donari possunt, poterunt à fortiori, utpote quod minus est, oppignerari.

109 Assert. X. Consuetudo in plurimis locis obtinuit, ut laici de decimis justo titulo possessis liberè disponant, sicut de bonis patrimonialibus, non tantùm in feudum dando, sed etiam donando, vendendo, permutando, dando in dotem, & emphyteusin, dividendo inter hæredes &c. De Hispaniæ consuetudine testantur Ferd. Vasq. *l. c. n. 2.* Guttierrez *cit. q. 15. n. 7.* & Barbof. *in c. 19. h. t.* de Gallia Chafsan. *in consuet. Burgund. rubr. 1. §. 6. n. 36.* de Belgio & Gallia Bernvan Espen *Jur. Eccl. p. 2. tit. 33. c. 4. n. 38.* de Germania quoad plurimas decimas Pirhing. *h. t. n. 147.* & Zasius *in Epitome Feudorum p. 3. n. 26.* ubi postquam dixerat, indubitatum esse, quòd laicus decimas, quas possidet, alteri laico infeudare non possit, addit hoc malè servari in nostra Germania, dum Principes laicis decimas infeudare soleant; seque refert ad Canonistas, an fortasse usus vetustus illos excuset. Qui hanc consuetudinem non damnant, ajunt cum Fern. Valquio, Gilken, & Christinæo, eam

damnari ac rejici non posse, quia plurimæ animæ damnentur, & innumeri contractus evertantur. Addunt, postquam semel licitè in in laicos alienatæ fuerunt, factas esse de ipsorum patrimonio, & ut profana bona cenferi debere, juxta *l. 36. §. quindecim. ff. de legat. 3.* Verùm hoc ad summum procedit de decimis absolutè donatis; non verò de concessis in feudum: has enim absque consensu Ecclesiæ in feudum dari, & alienari non posse, veritas est, ut loquitur Mart. Laudensis *l. 1. de Feud. tit. 18. n. 7.* cum Jure communi Feudorum vasallus res in feudum concessas sine consensu domini alienare nequeat; fuisse autem decimas laicis solùm in feudum concessas, non verò simpliciter donatas, & pleno jure in ipsos translatas, constat ex dictis *n. 505.* Addunt ulterius, consuetudinem & possessionem immemorialem habere vim præsumpti privilegij vel alterius legitimæ concessionis factæ, hancque legitimæ tituli præsumptionem esse sufficientem probationem, etiamsi is nunc exhiberi & probari non possit. Verùm possessio immemorialis solùm facit præsumptionem legitimæ concessionis in feudum: cum nullibi legatur, decimas absolutè donatas & pleno jure in laicos ab Ecclesiâ translatas fuisse, sed tantùm quòd in feudum datæ fuerint. Addi complura alia possent, præsertim ex Bulla Coenæ Domini

& Bullâ Urbani VIII. quæ incipit  
*Romanus Pontifex editâ a. 1641.*  
 5. *Fun.* sed torrens consuetudinis  
 obstat, valétque hîc maximè illud

*Eccli. c. 4. v. 32. Noli resistere con-  
 tra faciem potentis, nec coneris  
 contractum suum.*



# PARS IV.

## De Materia & Forma Decimarum.

### CAPUT I.

#### De Materia Decimarum.

#### QUÆSTIO I.

#### Quibus ex rebus solvenda sint Decima.

#### SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| §10. Ratio exigendi decimas tam<br>personales quam prædiales.  | §15. Non debentur his ex eadem<br>re; bene tamen occasione eju-<br>dem rei. |
| §11. Debentur ex omnibus fructi-<br>bus & proventibus rerum mo-<br>bilium & immobilium.                                  | §16. Debentur etiam ex novalli-<br>bus.                                     |
| §12. Proventus molendinorum,<br>& fodinarum, merces locata-<br>rum adium, furnorum &c. com-<br>putantur inter prædiales. | §17. Toties solvenda sunt, quoties<br>res fructificat.                      |
| §13. Decima ex apibus sunt de ce-<br>ra & melle.   | §18. Personales ex omnibus lucris<br>justè partis.                          |
| §14. Solvenda sunt etiam de re-<br>bus minutis.  | §19. Enarrantur species lucrorum.   |
|  | §20. Consuetudo ferè sustulit per-<br>sonales.                              |

Duplex